DOCUMENTA ANTIQUA

FRANCISCANA

EDIDIT

FR. LEONARDUS LEMMENS, O. F. M.

PARS III.

EXTRACTIONES DE LEGENDA ANTIQUA

.245
554

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

1902.

DOCUMENTA ANTIQUA
FRANCISCANA

DOCUMENTA ANTIQUA

FRANCISCANA

EDIDIT

FR. LEONARDUS LEMMENS, O. F. M.

PARS III.

EXTRACTIONES DE LEGENDA ANTIQUA

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theologi
Union Library

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

—

1902.

Proprietas litteraria.

4884

PRAEFATIO

Duo priores fasciculi benigne excepti sunt ac multos invenerunt amicos; « debent enumerari — ait de ipsis *Carmichael* — inter gravissima scripta Franciscana temporis recentis » (Cf. Misc. Franc. t. IX pag 23, not. 6); et *Faloci* de secundo scribit: « Questa scoperta distrugge in modo perentorio le congetture del Sabatier;.. ha più recato vantaggio allo studio e alla conoscenza di S. Francesco questo piccolo opuscolo del P. Lemmens, che molti volumi carichi di erudizione nell' ultimo decennio » (Misc. Franc. t. VIII pag. 130). Quare et hunc fasciculum gratum fore speramus.

Praebet ex archivo S. Isidori opusculum, quod permagni est momenti pro legenda secunda Celanensis corrigenda; in appendice autem dabimus accuratam descriptionem omnium codicum latinorum dicti archivi, qui ad historiam S. P. Francisci spectant. Quo loco plura magnae utilitatis dicentur.

Romae, Idibus Iunii 1902.

Fr. Leonardus Lemmens O. F. M.

INTRODUCTIO

Antequam de ipso, quod heic evulgabimus opusculo agemus, quaedam dicentur quantum ad duos fasciculos, qui anno praeterito prodierunt. In *Analecta Bollandiana* — t. XXI. pag. 111 sqq. — cl. P. *Van Ortroy* S. I. plura de illis statuit, quae examinanda sunt; quod ut clarius fiat, de singulis opusculis in specie agemus.

I. *De legenda beati Aegidii.*

Primo loco in priore fasciculo posuimus legendam quamdam beati Aegidii eamque suffulti testimonio codicis fratri *Leoni* attribuimus (pag. 9-72). P. Van Ortroy assensum haud praebet; legenda nostra (A) ipsi sola *pars* alterius legendae esse videtur, et de relatione legendae A ad illam beati Aegidii legendam, quae habetur in chronicis XXIV ministrorum generalium (B), dicit: « Post accuratam utriusque textus comparationem legenda haec nonnisi abbreviatio alterius legendae longioris esse videtur, ex qua etiam, sed alia via, prodiit legenda, quae in chroni-

cis illis extat [1] ». Respondemus: Etiam nos pluries et accurate utrumque textum comparavimus et ad hunc devenimus finem:

1. Omnia 20 capitula legendae A habentur in legenda B, haec circa 40 alia capitula addit.

2. Quoad capitula utrique legendae *communia* dicendum, quod alia iisdem, alia aliis verbis exhibentur, non eo tamen modo, ac si legenda B *idem fusius* proponat; aliis verbis: legenda A nullo modo se habet ut *compendium*. Interdum legenda B capitulis communibus *nova* facta interserit. Legenda B denique plures habet errores, legenda A meliorem praebet textum, quod utrumque exemplo illustramus.

a) In primo capitulo utraque legenda narrat, quomodo frater Aegidius ad beatum Franciscum venerit, simili quidem modo, at cum hac differentia majore, quod secundum legendam A sanctus Franciscus illo tempore apud *sanctam Mariam de Portiuncula,* secundum legendam B apud *Rigum Tortum* in « *tugurio derelicto* » commorabatur [2]. Legendae B congruit Speculum perfectionis (red. II) [3], at aperte contradicunt duo auctores primarii, frater Thomas de Celano et sanctus Bonaventura, secundum quos sanctus Franciscus ante approbationem regulae apud sanctam Mariam de Portiuncula « *assiduus* » morabatur et nonnisi post reditum ex Urbe in « tu-

---

[1] L. c. pag. 112.

[2] Cfr. Documenta Antiqua Franciscana, p. I. pag. 39, et Analecta Franciscana, t. III. pag. 75.

[3] Pag. 67, cap. 36.

gurio derelicto » apud Rigum Tortum se recollegit [1]. Quae *Sabatier* hac de re scripsit, negligimus, cum auctoribus primariis haud concordent et in compilatione sequentis temporis nitantur [2].

b) In sexto capitulo utraque legenda refert vitam beati Aegidii in eremitorio *Fabrionis* verbis multo diversis; haud parum ad rem facit, quod haec ab *Alvaro Pelagio* in suo libro de *Planctu ecclesiae* iisdem verbis, quae habet legenda A, narrantur [3].

3. Inter capitula, quae in legenda A desunt, quaedam certo admitti nequeunt. Admitti nequeunt ex. gr., quae habentur pag. 76 de illo itinere, quod sanctus Franciscus cum fratre Aegidio « statim » post hujus conversionem in Marchiam Anconitanam fecisse dicitur. Nec Thomas de Celano nec sanctus Bonaventura referunt aliquid de isto itinere; ab illis prima missio narratur, postquam fratres « ad *octonarium* numerum processerunt »; quibus optime

---

[1] Cfr. I. Cel. n. 21 et 42; leg. maj. S. Bonaventurae cap. 2 et 4.

[2] Cf. Sabatier, Vita di S. Francesco (Roma 1896) pag. 301, et Speculum perfectionis (ed. Sabatier, Paris 1898) pag. 263. Sabatier tenet: « L' hôpital était le domicile du travail, la maison de la Portiuncule le domicile de l'oraison »; quod probare nititur testimoniis legendae, quam vocant « trium sociorum ». — Cf. Carmichael, Il Primo Convento Francescano (trad. ex lingua anglica) in Misc. Franc., t. IX. pag. 22 sqq.

[3] P. II. fol. 186 v: « Quum sanctus Franciscus considerans sanctitatem fratris Aegidii dixisset ei, ut pergeret, quo vellet, respondit frater Aegidius, quod in tam libera obedientia ire et vivere nolebat »; notamus, opus istud tempore Joannis XXII esse scriptum.

et ad verbum concordant ea, quae leguntur in *cod. Ottob.* 522 fol. 249 v: « Refert tibi frater *Ioannes* magnae sanctitatis vir, qui socius specialis et confessor usque ad mortem fratris Aegidii fuerat, quod ipse frater Aegidius, qui fuerat quartus ordinis frater, talia sibi referebat. Cum essemus, inquit, *septem* fratres in ordine et necdum plures, beatus pater Franciscus apud sanctam Mariam de Portiuncula vocavit nos seorsim in silvam, quae juxta locum erat, et quasi primam celebrans synodum sive primum capitulum faciens, sic allocutus est nobis: ‚Intelligo, carissimi fratres, quod non solum propter nostram salutem vocavit nos Dominus; volo igitur, quod dividamur inter gentes' [1] ».

Admitti pariter nequit capitulum 21: « Qualiter ipse et sanctus Ludovicus rex mutuo suorum cordium arcana viderunt » in civitate Perusina. Cl. *Stilting* in commentario praevio ad Vitam S. Ludovici Regis hac de re scripsit [2]: « Ut silentium omnium antiquorum praeteream, Ludovicum in Italiam nunquam profectum esse, nunquam Perusiam vidisse, ex hoc toto commentario manifestum fiet, in quo partim jam vidimus, partim deinde videbimus eum in Gallia ita semper occupatum fuisse, assignatis locis et temporibus, ut tempus inveniri non possit, quo

---

[1] De codice isto bibliothecae Vaticanae cf. Anal. Franc. p. I. pag. 413 sqq.; scriptus est saec. XIV exeunte, at multas habet narrationes, quae magnam prae se ferunt speciem verae traditionis.

[2] Cf. Acta SS. Aug. V., comm. praev. § LXII.

in Italiam profectus esset, nedum septennio peregrinatus, praeter expeditionem transmarinam, quae septimum annum tenuit. Suspicor itaque, si factum B. Aegidii fictitium non sit, Ludovico per errorem tributum, quod B. Aegidio cum alio quopiam contigerit ».

Alia vero capitula legendae B non rejicimus nec in dubium vocamus ex eo, quod legendae fratris Leonis aliena habemus. Plura capitula (22, 37, 53, 56, 68, 71 etc.) desumpta esse putamus ex *Dictis* beati Aegidii, « quae notaverunt socii et familiares ejusdem sancti fratris » ; alia capitula (20, 21, 22, 41 ex parte) dederunt « *Actus S. Francisci et sociorum ejus* », qui collegerunt « notabilia de beato Francisco et sociis ejus et quidem actus eorumdem mirabiles, quae in legendis ejus *praetermissa* sunt »; ex hac compilatoris intentione recolligendi « praetermissa » deducere licet, quatuor illa capitula in legenda fratris Leonis non fuisse. — De aliorum capitulorum progenie difficulter judicatur. P. Van Ortroy ea, saltem ex parte, legendae fratris Leonis attribuit eaque in legenda A omissa esse putat; ex *comparatione textuum* haec quaestio, utrum illa capitula sint a legenda A omissa, an postea adjuncta, decidi nequit, nec argumenta alia *interna* aliquid produnt, cum legenda A legenda completa appareat nec ullam lacunam ostendat; nec ulla videtur ratio, ob quam capitula illa sint omissa.

Quare ad argumenta *externa* recurrere debemus, ad testimonia codicum. Codices omnino nostrae suffragantur sententiae; in nullo enim codice noto alia

beati Aegidii legenda fratri Leoni attribuitur; nostra vero in codice 1/63 archivi S. Isidori verbis desinit: « Quae notavit frater sanctus socius beati Francisci »; eadem vero verba leguntur in cod. XI. 148 *monasterii S. Floriani* et cod. *Lignitiensi* hoc modo: « Quae notavit sanctus frater *Leo,* socius beati Francisci [1] ».

Quare sententiam nostram retinendam censemus, donec aliae rationes et alia documenta invenientur [2].

II. *De aliis opusculis fratris Leonis.*

Secundo loco (pag. 75-106) posuimus duo opuscula, quae jam circa 1300 a pluribus fratri Leoni attribuebantur et quae hucusque in vanum auctores quaesierant; sunt « *Liber de intentione sancti Francisci* », qui habetur in codice 1/73 archivi S. Isidori, et « *Verba S. P. Francisci* », quae tum ex

---

[1] Prior codex, scriptus saec. XIV, continet expositionem regulae fratrum minorum, cui permultae partes « legendae antiquae » interseruntur. Fol. 50 v et 51 r habentur Verba fratris Aegidii (quae habentur Doc. Ant. Franc., p. I. pag. 63-65); fol. 51 r in margine leguntur verba supra citata; de altero codice cf. Sabatier, Description du Manuscrit Franciscain de Liegnitz (Paris 1901) pag. 54.

[2] P. V. Ortroy l. c. pag. 112 addit: « Ce qui achève enfin de me rendre perplexe, c'est que le prologue de la biographie plus développée offre les mêmes garanties d'authenticité: Prout a suis sociis intellexi et ab eodem viro sancto, cui familiariis fui, experientia didici »; sed in hisce verbis haud mentio habetur fratris *Leonis*. — Sabatier in sua editione Actuum B. Francisci et sociorum ejus, pag. LVIII dicit de nostra legenda: sunt « quelques pâles et insignifiantes pages... un résumé à la quatrième ou cinquième dilution »; videbimus.

eodem codice tum ex Angeli Clareni Expositione regulae evulgavimus [1].

P. Van Ortroy contra eorum authentiam urget, quod inter *solos* « *zelantes* » adhibita sunt, alibi vero nullum eorum habetur vestigium, « ailleurs, pas la moindre trace ». Revera miramur, quod P. Van Ortroy haec opuscula quaerit apud fratres de « *Communitate* », quorum proculdubio maxime intererat ipsa negligere; zelantes vero ea adhibuerunt publice et solemniter, Ubertinus Casalensis ipsis praefertim innititur in Responsione, quam Clementi V tradidit; quilibet vero Ubertinum prudentiorem judicabit, quam qui pro fundamento scripta dubia vel spuria elegerit. Nec deest testimonium fratrum de « Communitate »; in Replica, quam Responsioni fr. Ubertini opposuerunt, plura ab ipso posita negaverunt, at ne minimo quidem verbo dicta fratris Leonis in dubium vocarunt, quod certo fecissent, si de iis suspicio fuisset; hinc pleno jure hac in causa dicere licet: Qui tacet, consentire videtur [2].

Aliam P. Van Ortroy movet difficultatem dicens: « Sanctus Franciscus *nimis odiosus et ridiculus apparet* » in illis opusculis [3]; quod gratis assertum

---

[1] Hinc absque jure P. Van Ortroy nos vituperavit l. c. pag. 113 dicens: « Le chap. 6 a été arbitrairement ajouté par l'éditeur, sous prétexte qu'on le rencontre chez Ange de Clareno ».

[2] Cf. Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte des Mittelalters, t. II. pag. 89 sqq.

[3] L. c. pag. 114: « St. François y apparaît sous un jour trop odieux ou trop ridicule, pour qu'on puisse croire à leur authenticité ».

gratis negare licet. Plura revera in illis leguntur, quae male explicari possunt, v. g. verba, quae in cap. 1. prioris opusculi habentur: « Dico tibi, frater, quod haec fuit mea voluntas et est prima et ultima intentio, quod nullus frater deberet habere nisi vestimentum cum cingulo et femoralibus »; at jam ipsi « zelantes » haec verba bene intellexerunt, dicentes sanctum patrem noluisse, « quod fratres haberent tot libros ad usum *proprium* », sed ut « omnia in communi armario servarentur [1] ». Nec praetermittere volumus, majorem partem opusculorum alia forma inveniri in legenda II. Thomae de Celano [2].

Contra opusculum secundum « Verba S. P. Francisci » P. Van Ortroy in specie asserit, illa *esse excerpta ex Speculo perfectionis,* addens: « Quod probatur phrasi, quae efformat capitulum *tertium,* et quae desumpta est ex cap. 76 Speculi ». Infeliciter clarus auctor argumentatus est, et facile illud argumentum retorquemus. Duae enim et diversae hujus sententiae lectiones habentur, una apud Celanensem et altera in dicto Speculo perfectionis:

II. Cel. 3. 135.	Spec. (red. II) c. 76.
Professionem « dicebat librum vitae, spem salutis, medullam evangelii, viam perfectionis, clavem paradisi, pactum aeterni foederis ».	« Dicebat esse librum vitae, spem salutis, *arrham gloriae,* medullam evangelii, viam *crucis, statum* perfectionis, clavem paradisi et pactum aeterni foederis ».

[1] Cf. Documenta Ant. Franc., p. I. pag. 84.

[2] Cf. Doc. Ant. Franc., p. II. pag. 12 not. 2.

Ex eo quod opusculum non praebet lectionem Speculi, sed omnino eandem, quam habet Celanensis, argumentum P. Van Ortroy rejicere possumus et dicere: Ex illa sola sententia jam elucet, opusculum haud ex Speculo esse desumptum.

Reapse quidem omnia opusculi capitula, alio ordine, in Speculo perfectionis inveniuntur. Num vero inde sequitur, opusculum ex Speculo esse extractum? Nonne et contrarium dici potest? P. Van Ortroy saltem prioritatem *temporis* opusculo nostro concedere debet. Ubertinus Cas. caput 4 illius jam 1305 et caput 6 in Responsione 1309 vel 1310 tradita ut « scripta fratris Leonis » adhibuit [1]; nemo vero probabit hoc tempore Speculum illud jam extitisse.

Quare etiam hac in re sententiam nostram tenentes dicta opuscula cum auctoribus fere synchronis fratri Leoni attribuimus, donec argumenta meliora contrarium evincent.

III. *De Speculo perfectionis* (red. II).

In altero fasciculo posuimus opusculum, cui titulus « *Speculum perfectionis* », illudque compositum ex scriptis sociorum S. Francisci declaravimus. Acriter nobis contradicit P. Van Ortroy: « Tout cela nous ramène dans le pur domaine de la conjecture »; « cette combinaison ne manque pas d'ingéniosité, mais elle n'a guère d'autre support que le désir

---

[1] Cf. Doc. Ant. Franc.; p. I. pag. 101 et 105.

d'accommoder facilement toutes choses [1] ». A limine nostra explicatio rejicitur, quare a limine incipere denuo debemus.

P. Crescentius de Aesio 1245 fratribus praeceperat, « quod sibi in scriptis dirigerent, quidquid de vita, signis et prodigiis beati Francisci scire veraciter possent ». Quid ex hoc decreto transmiserunt socii ? P. Van Ortroy nobiscum convenit, quod non transmiserunt « Legendam trium sociorum » ; hanc legendam uterque apocrypham habemus [2], cum hac differentia, quod P. Van Ortroy etiam *epistolam* legendae praepositam rejicit, nos vero illam authenticam habemus. P. Van Ortroy contra hanc epistolam profert, quod in ipsa nominatur « frater Joannes, socius venerabilis patris fratris Aegidii » ; « atqui in vitis — ait — diversis beati Aegidii ne minimam fratris Joannis habemus mentionem [3] » : est argumen-

[1] L. c. pag. 113 et 114.

[2] Hoc loco in mentem vocamus jam duobus abhinc saeculis eandem sententiam esse propositam. In cod. 1271 bibl. *Corsini* Romanae habetur fol. 247 opusculum circa 1700 scriptum « Motivi che si propongono ai savissimi riflessi degli Emi Sign. Cardinali intorno alla Bolla di estensione dell' Indulgenza quotidiana di Porziuncola a forma del 2 Agosto » ; ibidem fol. 250 de « Legenda trium sociorum » dicitur : « Ma che sarebbe se questa Leggenda non fosse altramente de' tre compagni, ma posteriore ad essi d' un Secolo, siccome per cronologiche conghietture la affermato il Vadingo? e quanto peggio sarebbe, se questa Leggenda fosse stata supposta dagli Eretici Fraticelli, siccome ad evidenza dimostra un moderno critico » ?

[3] L. c. pg. 113 : « Or, dans les diverses Vies du B. Gilles bien des Frères Mineurs sont appelés par leur nom ;... mais il ne s'y rencontre pas la moindre mention d'un frère Jean ».

tum ex silentio, quod nimium claudicat; adsunt enim satis alia testimonia fere synchrona, quibus frater ille Joannes exhibetur. *Angelus Clarenus* in « Historia de septem tribulationibus Ordinis Minorum » nominat « fratrem Joannem, socium fratris Aegidii [1] »; *codex Ottob.* 522, qui praebet multas et genuinas traditiones saeculi XIII, fol. 249 v. refert ea, quae dixit « frater Joannes, magnae sanctitatis vir, qui socius specialis et confessor usque ad mortem fratris Aegidii fuerat [2] »; nec praetermittimus, quod pariter in pluribus codicibus *Actus sancti Francisci et sociorum ejus* loquuntur de « fratre Johanne, socio fratris Aegidii [3] ».

Argumenta *interna* epistolam falsam non declarant. Supposito tamen, quod epistola est apocrypha: quis eam finxit? et cui fuit ratio illam conscribendi? Solius compilatoris « Legendae trium sociorum » interesse potuit eam fingere, ut deciperet et suam compilationem commendaret. At nemo non videt, epistolam directe legendae contradicere; compilator legendae, quem P. Van Ortroy « satis habilem » nominat [4], proculdubio aliam et magis convenientem epistolam conscripsisset [5].

---

[1] Cf. Archiv t. II. pg. 279.

[2] Cf. Anal. Franc. t. I. pg. 419, et supra pg. 10.

[3] Cf. Actus beati Francisci et sociorum ejus, ed. Sabatier (Paris 1902) pg. 216.

[4] Analecta Boll. t. XIX. pg. 138: « Les pièces sont assez habilement agencées ».

[5] Cf. Sabatier, De l'authenticité de la légende de saint François dite des trois compagnons (Paris 1901), pg. 11.

Objicere possunt codices, in quibus semper conjunctam esse epistolam dicunt legendae; si legenda est apocrypha, pariter epistola conjuncta haberi debet apocrypha. Transeat consequentia, negamus majorem. Duae habentur recensiones legendae, de qua agimus: una, quam ediderunt *Bollandiani* et paucis mutatis *Faloci,* altera, quam edidit *Amoni.* In priori epistolam immediate sequitur legenda, in altera inter utramque stat prologus et exordium quoddam primi capituli, quae magnam habent aetatem, quia ea Bernardus a Bessa jam excerpsit [1]. Eodem igitur jure, quo alii epistolam et legendam intime esse connexas dicunt, nobis hoc negare vel saltem distinguere licet.

Praetermisso quod fr. Thomas a Celano epistolam illam prae oculis habuisse videtur, quando scripsit prologum in legendam secundam [2], magna cum probabilitate epistolam trium sociorum authenticam judicamus; hic vero habetur initium et radix differentiae inter sententias, quam P. Van Ortroy et quam nos tenemus. Ille tenet, *nihil* a sociis ministro generali esse transmissum, nisi legendam secundam, quam ipsis juvantibus Celanensis composuit; nos vero dicimus, cum illa epistola socios tradidisse acta vel scripta vel documenta, ex quibus Celanensis legendam secundam postea compilavit.

Socios sancti Francisci aliqua scriptis dedisse, ex pluribus testimoniis elucet. *Anonymus Perusi-*

---

[1] Cf. Minocchi, La « Leggenda trium sociorum » (Flor. 1900) pg. 105; nobis hae partes ad scripta a sociis transmissa pertinere videntur.

[2] Cf. Doc. Ant. Franc., p. I. pg. 32.

nus ad ea provocat scribens: « Qui acta eorum vidi, verba audivi, quorum etiam discipulus fui [1] »; *Alvarus Pelagius* vero in libro jam citato dicit: « Sicut scripserunt socii sui, vita et miraculis corusci [2] ». Hinc asserere socios quaedam scripsisse « pure conjecture » vocari nequit; quaeritur solum, *ubi* illa scripta inveniantur.

Viam parat traditio antiqua, secundum quam decreto illo P. Crescentii « inducti fr. Leo et fr. Angelus et fr. Rufinus quondam socii ipsius sancti tanquam testes fideles, quae viderant, in scriptis redegerunt [3] »; « post frater Thomas de Celano de mandato ejusdem ministri et generalis capituli primum tractatum Legendae beati Francisci compilavit [4] ». Hic legenda secunda Celanensis ex scriptis sociorum compilata esse traditur, quare affinitatem inter illa saltem quoad materiam requirimus.

Hucusque scripta a sociis transmissa nondum sunt inventa; habemus tamen opusculum, quod codex saeculi XIV exhibet ut « compositum ex quibusdam

---

[1] Acta SS. oct. II., pg. 549 n. 20.

[2] De Planctu ecclesiae, II. fol. 150 v.

[3] Memoriale Ordinis Minorum (Venetiis 1513), I. fol. 33 r. Chronica XXIV min. gen. (Anal. Franc. t. III. pg. 262) addunt « per modum legendae », quae verba certo errant (cf. Doc. Ant. Franc., p. I. pg. 31); notamus hic alium errorem, qui in chronicis illis eodem loco habetur; « idem generalis de vitis sanctorum fratrum minorum opusculum in modum dialogi edidit »; in praefatione illius dialogi vero auctor testatur: « obedientia reverendi fr. Crescentii praeceptrice... compigenda suscepi »; dialogum istum quam primum edemus.

[4] Anal. Franc. t. III. pg. 262.

repertis in scriptis sancti fratris Leonis et aliorum sociorum », cui opusculo titulus est *Speculum perfectionis*. Opusculum omnino quoad materiam et aliquando quoad formam legendae secundae Celanensis concordat, quare nos verba illa codicis « compositum ex scriptis » etc. sensu suo obvio intelleximus [1]. P. Van Ortroy nos propter hoc de caeca fiducia (« confiance aveugle ») accusat et sententiam nostram « puram hypothesin » proclamat, rationes vero non affert; quare sententiam nondum mutamus, et denuo nostram hypothesin statuimus: Socii sancti Francisci 1246 sola acta vel documenta tradiderunt, ex quibus fr. Thomas de Celano legendam secundam composuit; acta illa sociorum non habentur, at prope illis accedit redactio nostra Speculi perfectionis [2]. Ut

---

[1] In « Revue d'Histoire Ecclésiastique » (1902) St. Le Grelle pag. 404 de nostra redactione dicit: « Que cette rédaction du Speculum soit la première, qu'elle soit faite directement sur les mêmes documents que la deuxième vie de Thomas de Celano, le P. Lemmens ne le prouve pas ». Redactionem nostram esse priorem deducimus ex eo, quod alia, quam edidit Sabatier, continet errores et aperte est interpolata; quod est facta « directement sur les mêmes documents que la deuxième vie de Thomas de Celano », nobis probabile esse videtur ex maxima inter utraque affinitate.

[2] L. c. pag. 114 P. Van Ortroy dicit: « Les récits du Speculum perfectionis (Redactio I), en face de ceux de la légende antique, accusent des lacunes; ils n'offrent donc pas le texte primitif des Compagnons »; respondemus distinguendo: ergo non offerunt textum primitivum *completum* — concedo, sed nunquam et nusquam illud affirmavimus; non offerunt textum *incompletum* — nego.

solvamus unam, quam movit difficultatem P. Van Ortroy dicens: Socii in ultimo capitulo legendae secundae Celanensis hanc ut opus suum sancto Francisco obtulerunt, respondemus: Bene illud facere potuerunt, quia auctori ministraverant *materiam,* licet forma sit ipsius fratris Thomae [1].

Unum adhuc restat, quod P. Van Ortroy impugnavit, et responsio nostra nos jam ad opusculum hic evulgandum deducit. Pag. 16 partis secundae locuti sumus de opusculo, quod in nonnullis extat codicibus, cui titulus « *Extractiones de legenda antiqua beati Francisci* », inter alia dicentes: « Extractiones verbotenus desumptae sunt ex legenda secunda Celanensis »; contra quae P. Van Ortroy ponit: « Ne error P. Lemmens propagetur, dicimus Extractiones non provenire ex legenda secunda Celanensis, si excipitur initium et alia pars; est series desumpta pro majori parte ex textu communi *Speculi perfectionis,* aliquando ad verbum, saepius forma abbreviata [2] ».

Opusculum ipsum satis clare ob oculos ponet, ubi error habeatur, quare haud multa verba facientes tabulam solum exhibemus, ex qua relatio patescit, quae inter opusculum istud et duo illa opera intercedit.

---

[1] Ad verba, quae habet Le Grelle pag. 403 « Le P. Lemmens paraît ne pas l'avoir remarqué », dicimus, nos bene sententiam P. Van Ortroy vidisse, sed illum non citavimus, quia jam multo ante eum *Sbaralea,* quem citavimus, omnino eandem proposuit sententiam; cf. Doc. Ant. Franc., t. I. pag. 33.

[2] L. c. pag. 114.

EXTRACTIONES	SPEC. PERF.	LEG. II. CEL.
Cap. 1		Cap. 1. 1
2		1. 5
3		1. 12
4		1. 14
5		1. 15
6		1. 16
7		2. 4
8		2. 20
9	Cap. 5 (verb.), 9	3. 1 et 2
10	7 (sens.)	3. 3
11	6 (verb.)	3. 4
12		3. 5
13	9 (verb.)	»
14	5 (verb.)	3. 6
15	20 (verb.)	3. 7
16	5 (verb.)	3. 8 et 9.
17	14 (verb.)	3. 11
18	»	»
19		3. 12 (mutat.)
20		3. 20
21		»
22	23 (sens.)	3. 21
23	24 »	»
24	25 »	3. 22
25		3. 26
26	38 »	3. 35 (mutat.)
27		3. 48 (mutat.)
28		3. 55
29	95 (sens.)	3. 56
30	86 »	3. 57 (mutat.)
31	99 (verb.)	3. 58
32		3. 60
33	67 (sens.)	3. 61
34	59 (verb.)	3. 63

EXTRACTIONES	SPEC. PERF.	LEG. II. CEL.
Cap. 35	Cap. 95 (sens.)	Cap. 3. 65
36	93 (verb.)	3. 67
37	96 (sens.)	3. 68
38	97 »	3. 69
39	62 »	3. 70
40	»	3. 71
41	45 (verb.)	3. 71 et 73
42		3. 74
43		3. 79
44		»
45		In cod. Mars.
46	39	3. 81
47		3. 83
48	54 (verb.)	3. 84
49	76 et 77 (verb.)	3. 135
50	43 (verb.)	3. 86 et 87
51	48 »	3. 89
52	»	»
53	49 (verb.)	3. 90
54	51 »	3. 92
55	»	»
56	70 »	3. 93
57	74 »	3. 95
58	82 »	3. 96

Ex qua tabula apparet, omnia opusculi 58 capitula haberi in legenda II. Cel., idque ad verbum, si excipiuntur quatuor numeri parum abbreviati. Quoad Speculum perfectionis res aliter se habet: circa 20 capitula in ipso desiderantur, fere totidem plus minusve iisdem narrantur verbis, alia aliis verbis exhibentur.

Omnia alia, quae de auctore quaeri possunt, ignorantur; ipsius intentio fuisse videtur, legendam maiorem S. Bonaventurae supplere [1].

Opusculum ex duobus codicibus, quos l. c. jam indicavimus et in appendice hujus opusculi accurate describemus, evulgabitur [2]. *Utilitas opusculi in eo est, quod magnum praebet adjumentum ad corrigendum textum legendae II. Celanensis.* Satis notum est, duas hucusque ex solo codice *Assisiensi* factas editiones pluribus vitiis laborare [3]. Paucis abhinc annis detectus est alius codex legendae illius (codex Marsiliensis); accedit jam nostrum opusculum, et ex ipso multa vitia emendare et plures sententias ad meliorem sensum reducere valemus. Quare speramus fore, ut legenda illa pretiosa recte et *complete* mox evulgari possit.

---

[1] Doc. Ant. Fr. p. II. pag. 16 not. 2.

[2] Codex archivi S. Isidori sub signo B, alter sub A citatur; secundum, qui est melior, sequimur ordinarie; codex B magis accedit textui editionum.

[3] Prior facta a Rinaldi prodiit Romae 1806, altera ab Amoni edita ibidem 1880.

INCIPIUNT EXTRACTIONES

de legenda antiqua beati Francisci. De notabilibus et devotis factis ejus.

1. Capitur beatus Franciscus ante conversionem suam a Perusinis; exultat in carcere. Et captivi dolentes arguunt jucunditatem in vinculis; Franciscum insanum reputant ac dementem. Respondet Franciscus prophetice: « In quo exultare me creditis, meditatio alia subest. Nam [1] adhuc sanctus adorabor per saeculum totum [2] ».

2. Loca Franciscus quaerebat abscondita velut orationibus congrua [3].

3. Nolebat sanctus Franciscus, quod fratres existentes in sancta Maria de Portiuncula ad saecularium relationem aures praestarent nec animum [4], ne contemplatione intermissa coelestium ad inferiora commercia per rumigerulos traherentur. Non licebat alicui ibidem otiosa proferre, nec referre prolata per

---

[1] B deest « nam ».

[2] II Cel. 1. 1.

[3] II Cel. 1. 5; B « valde » loco « velut ».

[4] Ed. « paterent auribus ».

alios. Sine intermissione diebus ac noctibus existentes in loco divinis erant laudibus occupati, et odore miro fragrantes vitam ducebant angelicam [1].

4. Tota illa prima schola beati Francisci omnibus se subdebat incommodis, ut nefas duceretur, si quis aliquo modo quam in consolatione spiritus respiraret [2].

5. Sale conditum sacrificium Deo semper reddere jubet Franciscus, et ut vires proprias in Dei obsequio unusquisque consideret, monet attente. Et [3] peccatum simile asserit indiscrete corpori subtrahere debitum, sicut imperante gula exhibere superfluum [4].

6. Dicebat sanctus Franciscus fratribus: « Vadam igitur et fratres meos [5] sanctae Romanae ecclesiae commendabo, cujus potentiae virga percellantur malevoli, et filii Dei in aeternae salutis augmentum ubique plena gaudeant libertate. Recognoscent [6] ex hoc filii dulcia beneficia matris et speciali devotione semper ipsius reverenda vestigia complectentur. Non erit ipsa protegente in ordine malus occursus, nec filius Belial per vineam Domini transibit impunis. Paupertatis nostrae ipsa mater sancta aemulabitur gloriam et humilitatis praeconia per superbiae nubilum obfuscari non sinet. Caritatis et pacis in nobis vincula servabit illaesa, censura strictissima percu-

---

[1] II Cel. 1. 12.

[2] II Cel. 1. 14.

[3] B et ed. deest « et ».

[4] II Cel. 1. 15.

[5] B et ed. « eos ».

[6] B « recognoscant ».

tiens dissidentes evangelicae puritatis; observatio sacra continentiae [1] in conspectu ejus florebit nec odorem vitae ad horam patietur elidi [2] ».

7. Dicebat sanctus cuidam fratri, qui ordinem reliquerat, sub specie majoris sanctitatis: « Indulgeat tibi Dominus, frater! Sed caveas de cetero, ne sub specie sanctitatis a tua religione et a [3] fratribus separeris [4] ».

8. Dixit autem fratribus pater: « Fratres carissimi! primo verbo praeceptum implete, nec exspectetis iterandum, quod dicitur. Nihil enim impossibilitatis causemini, quoniam et si super vires ipse mandarem, viribus obedientia non careret [5] ».

9. Item dicebat, paupertatem esse perfectionis viam, aeternarum divitiarum pignus et arrham. Nemo tam auri, quam iste cupidus paupertatis. Nec thesauri custodiendi sollicitior ullus, quam iste hujus evangelicae margaritae. In hoc praecipue suus offendebatur aspectus, si quidquam foris [6] videret in fratribus paupertati contrarium. Docebat suos habitacula paupercula facere, ligneas, non lapideas, vili [7] schemate casellas erigere. Saepe vero de paupertate sermonem faciens ingerebat illud evangelicum fratribus: « Vulpes foveas habent et volucres coeli nidos;

---

[1] Ed. « continue ».
[2] II Cel. 1. 16. Ed. « elabi ».
[3] B et ed. deest « a ».
[4] II Cel. 2. 4.
[5] II Cel. 2. 20.
[6] Ed. « domi forisque ».
[7] B et ed. « easque vili ».

filius autem Domini [1] non habuit, ubi caput reclinaret [2] ».

10. Ascendit ad diruendam domum, quam fecerat populus de Assisio in sancta Maria de Portiuncula pro capitulo. Iubet etiam fratres ascendere et monstrum paupertati oppositum eminus abrogare; dicebat enim cito expandendum per ordinem et accipiendum omnibus in exemplum, quidquid in loco illo arrogantius videretur. Hanc ergo domum funditus evertisset, nisi milites, qui astabant, eam communitatis et non fratrum dicentes, fervori [3] sui spiritus obstitissent [4].

11. Transiens per Bononiam audivit domum fratrum noviter ibi esse constructam, qui eo, quod hoc verbum « domum fratrum » insonuit, gressum vertit et recessit. Et mandat fratribus domum festinanter exire, propter quod relicta domo etiam infirmi non remanent, sed ejiciuntur cum aliis [5], donec dominus Ugo, tunc Hostiensis episcopus et legatus in Lombardia, domum praedictam publice praedicando suam esse proclamat. Testimonium perhibet et scribit hujus rei [6] ille, qui tunc de domo illa aegrotus ejectus fuit [7].

---

[1] B et ed. « Dei »; Vulgata (Matth. 8, 20 et Luc. 9, 58) « hominis ».

[2] II Cel. 3. 1 et 2.

[3] A « fervore ».

[4] II Cel. 3. 3.

[5] Ed. addit « nec redeundi licentia datur ».

[6] B et ed. « hoc ».

[7] II Cel. 3. 4.

12. Nolebat locellum aliquem fratres inhabitare, nisi certus, ad quem proprietas pertineret et staret patronus. Leges enim peregrinorum in filiis semper quaesivit: sub alieno videlicet colligi tecto, pacifice pertransire, sitire ad patriam [1].

13. Nam et in heremo Sartiani cum interrogatus a fratre frater, unde veniret, respondisset: « A cella fratris Francisci », hoc sanctus audito respondit: « Ex quo Francisci nomen cellae imposuisti, approprians eam mihi, alium sibi quaerat habitatorem; nam ipse in ea non morabor de cetero. Dominus autem, quando stetit in deserto [2], ubi oravit et [3] ubi jejunavit XL diebus, non cellam ibi fieri fecit, nec domum aliquam, sed sub saxo montis permansit [4] ».

14. Non solum autem domorum arrogantiam odiebat homo iste, verum etiam utensilia multa et [5] exquisita plurimum perhorrebat. Nihil in mensis, nihil in vasis, quo mundi recordaretur, amabat, ut omnia peregrinationem, omnia cantarent exilium [6].

15. Factum est quadam die Paschae, ut fratres in heremitorio Grecii mensam accuratius solito albis et vitreis praepararent; descendens autem pater de [7] cella venit ad mensam et conspicit alto sitam vane-

---

[1] II Cel. 3. 5.
[2] B et Spec. perf. (pag. 21) « carcere ».
[3] Ed. deest « ubi ».
[4] II Cel. 3. 5.
[5] A addit « pulchra ».
[6] II Cel. 3. 6.
[7] Ed. II. deest « de ».

que ornatam; sed ridenti mensae nequaquam arridet, sed [1] furtim et pedetentim retrahit gressum, capellum cujusdam pauperis, qui tunc aderat, capiti suo imponit et baculum manu gestans egreditur foras. Exspectat foris ad ostium, donec incipiant fratres comedere [2], siquidem soliti erant non exspectare ipsum, quando non veniret ad signum. Illis incipientibus manducare clamat verus pauper ad ostium: « Amore Domini mei [3] facite, inquit, eleemosynam isti peregrino pauperi et infirmo ». Respondent fratres: « Intra huc, homo, amore illius, quem invocasti ». Repente igitur ingreditur, et sese comedentibus offert. Sed quantum stuporis credis peregrinum cuilibet [4] intulisse? Datur petenti scutella et solo solus recumbens discum ponit in cinere, « modo sedeo, ait, ut frater minor »; et ad fratres: « Magis nos exempla paupertatis filii Dei, quam ceteros religiosos cogere debent. Mensam vidi paratam et ornatam et pauperum ostiatim euntium non esse cognovi [5] ».

16. In libris testimonium Domini quaerere, non pretium, aedificationem, non pulchritudinem edocebat. Paucos tamen haberi volebat, eosdemque ad fratrum egentium necessitatem paratos. Unde cum quidam minister libros ambitiosos multumque valentes ejus licentia retinendos [6] expeteret, audivit ab ipso: « Li-

---

[1] B et ed. deest « sed ».

[2] Ed. deest « comedere ».

[3] Ed. « Dei ».

[4] B et ed. « civibus ».

[5] II Cel. 3. 7.

[6] A « licentiam retinendi eos ».

brum evangelii, quod promisi [1], pro tuis libris perdere nolo. Tu quidem, quod volueris, facies, mea non fiet licentia laqueus animarum [2] ». In stratis et lectis ita demum abundabat pauperies, ut, qui super paleas panniculos semisanos haberet, pro thalamo reputaret [3].

17. Verum summopere amicus Dei cuncta, quae sunt mundi, despiciens super omnia tamen execrabatur pecuniam; inde illam a principio suae conversionis praecipue vilipendit et tamquam ipsum diabolum se sequentibus semper innuit fugiendam; haec ab ipso erat cum solertia data doctrina [4], ut stercus et pecuniam uno amoris [5] pretio ponderarent [6].

18. Accidit igitur, ut die quadam [7] saecularis quidam ecclesiam sanctae Mariae de Portiuncula oraturus intraret, qui causa devotionis [8] pecuniam deposuit juxta crucem, quam illo recedente frater unus simpliciter sua manu contingens in fenestram projecit. Pervenit ad sanctum, quod fecerat frater; deprehensum ille se videns cucurrit ad veniam et humi prostratus se offert ad verbera. Arguit illum sanctus et de pecunia iacta durissime increpat; jubet eum

---

[1] Ed. « promisimus ».

[2] Ed. I (pag. 177) « (sed) mea non fiet licentia »; ed. II « sed mea non fiet licentia »; B « mea non fit licentia laqueus ».

[3] II. Cel. 3. 8 et 9.

[4] B et ed. « erat solertia data ».

[5] Ed. II « amori ».

[6] II. Cel. 1. 11.

[7] B et ed. « die quadam ut »

[8] Ed. « oblationis ».

ore proprio de fenestra levare pecuniam et extra septa loci ipsam ore suo super stercus ponere asininum [1].

19. Sed et alius frater, qui denarium invenit in via et accepit, ut daret leprosis, perdidit extemplo loquelam, frendet dentibus, loqui non valet. Tandem foetore projecto labia polluta aquis poenitentiae lota solvuntur in laudem [2].

20. Nonnunquam vero se ipsum exercitans et fratrum verecundiae parcens solus ipse in principio pro eleemosyna discurrebat [3].

21. Dixit aliquando fratribus [4]: « Carissimi fratres! Dei filius nobilior nobis erat, qui pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo, et [5] suo amore viam paupertatis elegimus. Non igitur debemus confundi pro eleemosynis ire, et arrham coelestis haereditatis erubescere nequaquam regni haeredibus convenit [6]. Dico vobis, multos nobiles et sapientes nostrae congregationi jungendos, qui pro honore ducent eleemosynas mendicare. Vos igitur, qui estis primitiae, laetamini et gaudete, et ne [7] renuatis facere, quae sanctis illis facienda transmittitis [8] ».

---

[1] II. Cel. 3. 11.

[2] II. Cel. 3. 12.

[3] II. Cel. 3. 20.

[4] B cum cod. Ass. « Videns autem plures vocationem suam non debite attendentes, semel aliquando dixit ».

[5] B et ed. deest « et » et paulo post « igitur ».

[6] A omittit quatuor ultima verba.

[7] B « gaudete; ne »; ed. « gaudete, nec ».

[8] II. Cel. 3. 20.

22 Dicebat beatus Franciscus, quod verus frater minor non multum stare debet, quin pro eleemosyna vadat [1]. Et quanto nobilior, ait, filius meus est, tanto sit promptior ad eundum, quoniam taliter ei merita cumulantur [2].

23. Aderat in quodam loco frater quidam, qui ad eleemosynam nunquam, ad mensam continue ivit [3]; quem vir sanctus attendens ventris amicum, fructus participem, laboris expertem, sic semel intulit ei: « Vade viam tuam, frater musca! quoniam vis comedere fratrum tuorum laborem et esse otiosus in opere Dei. Similis es fratri aponi [4], qui laborem apum non sustinens mella vult comedere primus [5] ».

24. Alio tempore apud Portiunculam cum frater quidam rediret de Assisio cum eleemosyna, propinquus jam loco coepit in cantum prorumpere et Dominum alta voce laudare; quo audito repente exilit [6] sanctus ac currit foras et osculato fratris humero saccum sibi [7] imponit: « Benedictus, inquit, sit frater meus, qui promptus pro eleemosyna vadit, humiliter quaerit et gaudens revertitur [8] ».

---

[1] Ed. II. « non multum ruboris subire deberet, quando pro eleemosynis iret »; ed. I ponit « ruboris » in uncis; cf. Spec. perf. pag. 48, lin. 29.

[2] II. Cel. 3. 21.

[3] B et ed. II: « ad eleemosynam nullus, ad mensam plures ».

[4] Ed. II: « apum ».

[5] II. Cel. 3. 21.

[6] A « exivit ».

[7] B et ed. « suo ».

[8] II. Cel. 3. 22.

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS

O. F. M.

PROV. S. BARBARAE

25. Saepe fratres, etiam si egerent [1], potius ad alios recurrere, quam ad intrantes ordinem docuit, primo quidem propter exemplum, deinde ad vitandam omnis turpis commodi speciem [2].

26. Matri duorum fratrum pauperi, cum non haberet aliud, dedit sanctus Franciscus testamentum novum, ut venderet; in quo fratres dicebant lectiones ad matutinum, dicens: « Credo [3], quod magis placebit Deo hoc donum [4], quam lectio ».

27. Cuidam fratri suadenti sibi in infirmitate aliquid de scripturis facere sibi legi respondit sanctus: « Non pluribus indigeo, fili! scio Christum pauperem crucifixum [5] ».

28. Mellitas et tossicatas familiaritates, mulierum colloquia et aspectus [6], quae in errorem inducunt etiam viros sanctos, jubebat penitus evitari. Dicebat [7] enim, ex hoc tenerum cito frangi, et fortem saepe spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facile dixit, quam juxta scripturam in igne ambulare, nec comburere plantas. Quando autem ipse

---

[1] Ed. « Saepe enim, si fratres egerent ».

[2] II. Cel 3. 26.

[3] B et ed. addunt « equidem ».

[4] Ed. « inde placebit donum ». — II. Cel. 3. 35.

[5] II. Cel. 3. 48.

[6] Ita A; B « mellita tosica, familiaritates videlicet mulierum, colloquia et aspectus »; ed. « mellita tossica familiaritates videlicet mulierum ».

[7] B et ed. « timebat ».

cum femina loquebatur, sonora, ut ab omnibus posset audiri, voce dicenda promebat [1].

29. Dicebat etiam [2] sanctus pater: « Ex nimia securitate minus cavetur hostis; et diabolus, si de suo capillum habere potest in homine, cito illum [3] excrescere facit in trabem; nec si per multos annos dejicere non potuit, quem tentavit, moram causatur, dummodo sibi cedat in fine. Hoc est enim opus suum, nec est [4] ad alia die noctuque sollicitus [5] ».

30. Interrogatus a socio, cur non respexerat virginem quandam ipsum visitantem et corporaliter reficientem, respondit: « Quis [6] non timere debet sponsam Christi, qui oculos respicere praedicatur et faciem? et ipse me videt, non ego illum [7] ».

31. Semel pater tentatus et orans audivit in spiritu: « Francisce! si habueris fidem ut granum sinapis, dices monti, ut transeat, et transibit ». Respondit Franciscus: « Domine! quis est mons, quem vellem ipse transire [8] »? Et iterato audivit: « Mons

---

[1] II. Cel. 3. 35.

[2] Ed. « dicebat autem ».

[3] Ed. « capillum ».

[4] Ed. deest « est ».

[5] II. Cel. 3. 56.

[6] Ed. II. « quis ».

[7] Ita clare A; in B et ed. habetur alia lectio, quae vix inligitur; ed. « quod si oculis praedicatur, et facie, ipsa me viderit, non ego illam »; B inter « oculis » et « praedicatur » inserit « respicere ». — II. Cel. 3. 57; cf. Alv. Pel., De planctu eccl. fol. 196 r, ubi idem ac B et editiones.

[8] B et ed. « velim ipse transferre ».

est tentatio tua ». Et post lacrimas sancti recessit tentatio [1].

32. Tentatus frater rogavit patrem, ut oret pro eo. Respondit Franciscus: « Crede mihi, fili! quoniam magis propterea [2] servum Dei te credo; et quo magis tentatum, magis a me dilectum te noveris ». Et subjunxit: « Vere dico tibi, nullus Dei servum se reputare debet, quousque per tentationes et tribulationes transierit. Annulus quidam [3] quodammodo est victa tentatio, quo Dominus sibi desponsat animam servi sui. Plures enim [4] sibi de annosis meritis blandiuntur et nulla sustinuisse tentamenta laetantur; sed quoniam ante congressum solus eos terror elideret [5], sciant spiritus sui debilitatem consideratam a Domino. Vix enim objiciuntur certamina fortia, nisi ubi fuerit virtus perfecta [6] ».

33. Semel autem verberatus a daemonibus dixit: « Signum amplioris est gratiae, nihil in servo suo, dum vivit in hoc mundo, Dominum impune relinquere [7].

34. Audiens semel pater daemones discurrentes per ecclesiam, in qua orabat, dixit: « Ex parte Dei omnipotentis dico vobis, daemones [8], ut quidquid

---

[1] II. Cel. 3. 58.

[2] A deest « propterea ».

[3] Ed. « annulus, inquit ».

[4] Ed. deest « enim ».

[5] Haec verba in A corrupta sunt.

[6] II. Cel. 3. 60.

[7] II. Cel. 3. 61.

[8] A addit « discurrentes per ecclesiam ».

vobis permissum est, in meo corpore faciatis. Libenter sustineo; quia cum majorem inimicum non habeam corpore, vindicabitis me de adversario meo, dum in ipso vice mei exercebitis ultionem [1] ».

35. Tutissimum remedium contra mille inimici astutias laetitiam spiritualem sanctus iste firmabat. Dicebat enim: « Tunc potissime exultat diabolus, cum gaudium spiritus servo Dei potest subripere [2]. Non possunt daemones offendere Christi famulum, nisi eum viderint sancta jucunditate privatum [3]. Quando vere flebilis est animus [4], desolatus et moerens, facile vel absorbetur tristitia, vel ad gaudia vana transmittitur ». Dicebat autem: « Servus Dei pro aliquo ut assolet conturbatus illico surgere ad orationem debet, et tamdiu coram summo Patre persistere, donec reddat ei sui salutaris laetitiam [5] ».

36. Lignum quandoque ut oculis vidi colligebat e terra ipsumque sinistro brachio superponens arculum filo flexum tenebat in dextera, quem quasi super viellam trahens per lignum et ad hoc gestus repraesentans idoneos, gallice cantabat de Domino. Terminabantur tota haec tripudia frequenter in lacrimis et in passionis Christi compassionem hic jubilus solvebatur [6].

---

[1] II. Cel. 3. 63.

[2] In B incipit novus numerus.

[3] Ed.: « ubi viderint repletum ».

[4] Ed. « amarus ».

[5] II. Cel. 3. 65.

[6] II. Cel. 3. 67; ed. « vidimus, anulum filoflexum », « supra tuellam ».

37. Vidit semel quemdam de sociis suis accidiosam [1] et tristem faciem praetendentem, et non leviter ferens dixit ad eum: « Non decet servum Dei tristem vel turbulentum se monstrare hominibus, sed [2] semper honestum. Offensas tuas in tuo cubiculo discute et coram Deo tuo lacrimare et ingemisce; cum redis ad fratres moerore deposito, ceteris conformare ». Et post pauca: « Multum invident mihi daemones, aemuli salutis humanae, et semper conantur, quod [3] in me non possunt, in sociis conturbare ». Tantum autem diligebat virum spirituali laetitia plenum, quod pro generali commonitione in quodam capitulo scribi fecit haec verba: « Caveant fratres, ne se ostendant extrinsecus nubilosos et hypocritas tristes, sed ostendant se gaudentes in Domino, hilares et jocundos et convenienter gratiosos [4] ».

38. Dixit etiam aliquando sanctus: « Fratri corpori cum discretione providendum est, ne ab eo tempestas commoveatur accidiae. Ut enim non taedeat ipsum vigilare et reverenter in oratione persistere, tollatur ei occasio murmurandi. Diceret enim: fame deficio, tui exercitii sarcinam ferre non valeo. Quod si postquam sufficienter vorasset annonam, talia mussitaret, scito, pigrum [5] indigere calcaribus et inertem asellum stimulum exspectare ». Hoc solo

---

[1] Ed. « accidiosum ».

[2] Ed. « licet ».

[3] Ed. « quem ».

[4] II. Cel. 3. 68.

[5] Ed. addit « jumentum ».

documento dissona fuit manus a lingua in patre sanctissimo. Corpus suum utique innocens flagellis et penuriis subigebat, multiplicans ei vulnera sine causa. Nam et calor spiritus ita jam levigaverat corpus, ut anima sitiente in Deum sitiret et quam multipliciter caro illa sanctissima [1].

39. Tempore hiemali semel guardianus socius ejus dixit ad eum portans quoddam corium vulpinum: « Pater! infirmitatem pateris splenis et stomachi; precor caritatem tuam in Domino, ut subtus tunicam patiaris istud consui corium; quod si totum non placet, saltem supra stomachum fieri sine ». Cui beatus Franciscus: « Si vis, ut subtus tunicam [2] patiar illud, fac mihi ejusdem mensurae petiam exterius applicari [3], qua consuta deforis, indicet hominibus pellem intus absconditam ». Acquiescente tandem guardiano petia supra petiam suitur, ne aliud foris quam intus Franciscus monstretur [4].

40. Semel in exordio praedicationis dixit populo: « Vos creditis me hominem sanctum et ideo devote venistis. Sed fateor vobis: tota hac quadragesima cibaria lardo condita comedi ». Sic frequenter voluntati [5] imputavit, quod prius infirmitati concesserat [6].

---

[1] II. Cel. 3. 69.

[2] Ed. « sub tunica ».

[3] A deest « applicari ».

[4] A « intus monstraretur ». B cum cod. Ass. addit: « O idem lingua — gloriabaris in Domino ». II. Cel. 3. 70.

[5] A et B « voluntati »; ed. fortasse melius « voluptati ».

[6] II. Cel. 3. 71.

41. Simili fervore, quandocumque spiritus ejus ad vanam gloriam movebatur, statim coram omnibus nuda illud confessione promebat [1]. Et contra se laudantes dicebat: « Quandocumque mutuum concessum, qui concessit, auferre voluerit [2], solum corpus et anima remanebunt, quae etiam infidelis habet [3] ».

42. Item dicebat: « Major hominis inimicus caro est, quae nec recogitare novit, ut doleat, nec ut timeat praevidere [4]; studium ejus est abuti praesentibus. Quod autem pejus est, ipsa sibi usurpat, ipsa in suam gloriam transfert, quod non sibi, sed animae datum est. Ipsa de virtutibus laudem, de vigiliis et orationibus favorem carpit exterius [5], nihil animae relinquens; quaerit et de laudibus [6] et lacrimis obolum [7] ».

43. Sola in Francisco cupiditas viguit, ut melior fieret, ut [8] primis non contentus novas virtutes adjiceret, humilis habitu, humilior sensu, humillimus reputatu [9].

---

[1] Ed. « prodebat »; in B hic incipit novus numerus.

[2] Ed. « mutuum auctor revoluerit ».

[3] Cel. 3. 71 et 73.

[4] Ed. « caro est, nihil recogitare novit, ut doleat, studium ejus abuti ».

[5] B et ed. « extrinsecum ».

[6] Ed. deest « de laudibus ».

[7] II. Cel. 3. 74. B addit: « Fr. Pacificus sanctum appellabat matrem », cf. II. Cel. 3. 76.

[8] Ed. « et ».

[9] II. Cel. 3. 79.

44. Non discernebatur Dei princeps, quod praelatus esset, nisi hac clarissima gemma, quia inter minores minimus aderat. Haec virtus, hic titulus, hoc insigne generalem indicabat esse ministrum. Aberat ab ejus ore omnis altitudo, pompa omnis a gestibus, ab actibus omnis status [1]. Sensum in multis ex revelatione didicerat, quem tamen in medio [2] conferens aliorum anteponebat sensum [3]. Sociorum consilium tutius esse credebat, et alienus visus melior proprio videbatur. Non omnia pro Deo reliquisse dicebat eum, qui sensus proprii loculos retineret [4].

45. Dum semel interrogatus esset a quodam rustico, an esset ipse Franciscus, respondit quod sic: « Stude ergo, ait rusticus, adeo bonus esse, ut ab omnibus [5] diceris, quoniam multi confidunt de te. Quare te moneo, ut nunquam de te sit aliud, quam speratur ». Sanctus hoc audiens de asino se misit in terram et coram rustico provolutus osculabatur pedes ejus gratias agens ei, quod eum dignatus esset monere.

46. Cum primo resignavit officium praelationis, surgens junctis manibus et oculis erectis in coelum dixit: « Domine! tibi recommendo familiam, quam mihi hactenus commisisti; et nunc propter infirmitates, quas tu nosti, dulcissime Domine! curam ejus

---

[1] Ed. « fastus ».

[2] B « modo ».

[3] B et ed. « sensus ».

[4] II. Cel. 3. 79.

[5] B « hominibus ». Cf. Anal. Boll., t. XVIII. pg. 104, not. 4.

habere non valens ipsam recommendo ministris. Teneantur coram te, Domine! in die iudicii reddere rationem, si aliquis frater eorum vel negligentia vel malo exemplo seu etiam aspera correctione perierit [1] ».

47. Videns autem quosdam praelationibus inhiare, quos praeter alia sola reddebat indignos ambitio praesidendi, eos non esse fratres minores dicebat, sed vocationis suae, qua vocati erant, oblitos a gloria excidisse. Nonnullos vero miseros aegre ferentes ab officiis amoveri [2], quippe cum onus non quaererent, sed honorem, eos multis sermonibus confutabat [3].

48. Licet autem cum omnibus hominibus pacem habere filios vellet atque universis parvulos [4] se praebere, clericis tamen maxime humiles esse verbo docuit et monstravit exemplo. Dicebat enim: « In adjutorium clericorum missi sumus ad animarum salutem, ut quod in illis invenitur minus, suppleatur a nobis. Recipiet unusquisque mercedem non secundum auctoritatem, sed secundum suum laborem. Scitote, fratres! Deo esse gratissimum animarum fructum [5] meliusque illum consequi posse pace [6], quam discor-

---

[1] II. Cel. 3. 81. B addit: « Haec gloria patris erat, ut omnis singularitatis et jactantiae specie relegata habitaret in eo virtus Christi »; cf. II. Cel. 3. 82.

[2] A deest « miseros »; ibidem « amovebat ».

[3] II. Cel. 3. 83.

[4] Ed. « parvulus ».

[5] B « lucrum vel fructum ».

[6] A deest « pace ».

dia clericorum. Quod si ipsi salutem impediunt populorum, Dei est ultio, et ipse retribuet illis in tempore. Ideo estote subjecti praelatis, ne, quantum in vobis est, zelus aliquis surgat. Et si filii pacis fueritis, clericos et populum Domino lucrabimini, quod acceptabilius judicat Dominus, quam populum solum clero scandalizato lucrari. Tegite, inquit, eorum casus multiplices, supplete defectus. Et cum hoc feceritis, humiliores estote [1] ».

49. Communem [2] professionem et regulam ardentissime zelabatur, et illos, qui circa illam zelatores erant, singulari benedictione dotavit. Hanc suis esse dicebat librum *vitae* [3], spem salutis, medullam evangelii, viam perfectionis, clavem paradisi, pactum aeterni foederis. Hanc volebat haberi ab omnibus, sciri ab omnibus, et ubique in allocutionem [4] taedii et memoriam praestiti juramenti cum interiori homine fabulari. Docuit eam semper in commonitionem agendae vitae portari debere, quodque plus est, cum ipsa mori debere. Cujus instituti non immemor quidam laicus frater, quem intra martyrum numerum colendum esse credimus, palmam assecutus est gloriosae victoriae. Nam cum a Saracenis ad martyrium traheretur, suis manibus regulam tenens, genibus humiliter incurvatis suo socio dixit: « De omnibus,

---

[1] Il. Cel. 3. 84.

[2] A « Communionem ».

[3] A deest « vitae ».

[4] Ed. « alleviationem » (ed. I. adhibet *asteriscum*, quo « error amanuensis » indicatur).

quae contra istam sanctam regulam feci, frater charissime! ante oculos divinae majestatis et coram te culpabilem me proclamo ». Successit brevi confessioni gladius, quo martyrio vitam finivit, signisque et prodigiis postmodum claruit. Hic juvenculus intravit ordinem adeo, ut ferre vix posset jejunium regulare, cum tamen loricam ad carnem sic puerulus deferebat. Felix puer, qui feliciter incepit, ut felicius consummaret [1].

50. In urbe cum domino Hostiensi, qui postea summus pontifex fuit, clara illa duo [2] luminaria orbis aderant, scl. sanctus Dominicus et sanctus Franciscus, et cum melliflua vicissim de Domino eructarent, dixit tandem episcopus illis: « In ecclesia primitiva pastores ecclesiae pauperes erant et homines charitate, non cupiditate ferventes. Cur, inquit, non facimus de vestris fratribus episcopos et praelatos, qui documento et exemplo ceteris praevalent » ? Fit inter sanctos de respondendo contentio, se praeripientibus, se offerentibus, quinimo sese cogentibus ad responsum; siquidem uterque prior erat alterius, unde uterque devotus in alterum [3]. Vicit tandem [4] humilitas Franciscum, ne se praeponeret, vicit et Dominicum, ut prius respondendo humiliter obediret. Respondens igitur beatus Dominicus dixit episcopo: « Domine! gradu bono, si cognoscunt, sunt sublimati

---

[1] II. Cel. 3. 135.

[2] B et ed. deest « duo ».

[3] A deest « se praeripientibus — in alterum ».

[4] Ed. « tamen ».

fratres mei, nec pro meo posse permittam, ut aliud assequantur speculum [1] dignitatis ».

Hoc itaque sic breviter orante inclinans se beatus Franciscus coram episcopo dixit: « Domine! minores ideo vocati sunt, ut majores fieri non praesumant. Item dicti sunt minores, ut sicut nomine, ita et opere sint humiliores aliis religiosis in ecclesia Dei. Nam secundum vocationem eorum vocati sunt a Domino ad imitandum exemplum humilitatis et paupertatis filii Dei [2]. Docet enim vocatio eorum [3] in plano subsistere et humilitatis sequi vestigia, quo tandem in respectione sanctorum plus aliis exaltentur. Si igitur vultis, ait, ut fructum afferant in ecclesia Dei, teneatis [4] illos et conservate eos in statu vocationis eorum et ad plana reducite vel invitos. Precor itaque, pater! ne superbiores, quo [5] pauperiores, existant et ne contra ceteros insolescant, ad praelationes illos ascendere nullatenus permittatis ».

Finitis, ut supra diximus, responsionibus servorum Dei, multum de utriusque sermonibus aedificatus episcopus Hostiensis immensas Domino gratias egit. Discedentibus autem inde rogavit beatus Dominicus beatum Franciscum, ut sibi chordam, qua cingebatur, dignaretur concedere. Laetus [6] ad hoc fuit

---

[1] Ed. « specimen »; Spec. perf. pag. 76 « speculum ».

[2] Ed. et Spec. perf. pag. 76 deest « Item dicti sunt — filii Dei ».

[3] B et ed. desunt « enim » et « eorum ».

[4] B et ed. « tenete ».

[5] B « quanto ».

[6] Ed. « lentus ».

beatus Franciscus, eadem humilitate retinens [1], quae ille charitate deposcens; vicit tamen felix devotio postulantis, et concessam sub inferiori tunica devotissime cinxit. Tandem manus inter manus ponuntur et mutuae commendationes dulcissimae fiunt. Dixit autem sanctus sancto: « Vellem, frater Francisce! unam fieri religionem tuam et meam et in ecclesia pari nos forma vivere ». Demum cum abscessissent, dixit sanctus Dominicus pluribus, qui tunc aderant: « In veritate dico vobis: hunc sanctum virum Franciscum ceteri religiosi sequi deberent, tanta est suae sanctitatis perfectio [2] ».

51. Tempore quodam [3] sedens cum sociis beatus Franciscus emisit quoddam suspirium dicens: « Vix est aliquis religiosus in mundo, qui perfecte obediat praelato suo ». Permoti ex hoc socii dixerunt ei: « Dic nobis, pater! quae est perfecta et summa obedientia ». At ille describens verum obedientem sub figura mortui corporis respondit: « Tolle, inquit, corpus exanime et, ubi placuerit, pone; videbis non repugnare motum, non murmurare situm. Quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet; si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui, cur moveatur, non dijudicat, ubi locetur, non curat, ut transmutetur, non instat; evectus ad officium solitam tenet hu-

---

[1] Ed. « tam humilitate renuens, quam »; cod. Assis. « tandem » (cf. ed. I. pg. 279 lin. 20).

[2] II. Cel. 3. 86 et 87.

[3] B et ed. « alio tempore ».

militatem; plus honoratus plus reputat se indignum [1].

52. Alia vice de hujusmodi loquens concessas obedientias post petitionem prope licentias dixit; injunctas vero nec postulatas sacras obedientias nominabat; utramque bonam dicebat, sed aliam tutiorem. Summam vero, in qua nihil habet caro et sanguis, illam esse dicebat [2], qua divina inspiratione inter infideles itur sive ob proximorum lucrum, sive ob martyrii desiderium. Hanc vero petere multum judicabat Deo acceptum [3].

53. Per obedientiam itaque raro praecipiendum censuit, nec primo fulminandum jaculum, quod esse debet extremum. « Ad ensem, inquit, non cito manus mittenda est ». Eum vero, qui praecepto obedientiae obedire non festinat, nec timere Deum, nec hominem revereri dicebat [4]. Nam quid in temerario praeceptore auctoritas imperandi, nisi gladius in manu furiosi? Quid vero desperatius religioso obedientiam contemnente [5]?

54. Accidit, fratrem quendam Barbarum nomine coram quodam milite de insula Cipri [6] semel in fratrem alium verbum jactare injuriae. Qui cum ex verbi conflictu laesum [7] aliquantulum suum fratrem

---

[1] H. Cel. 3. 89.
[2] B et ed. « credebat ».
[3] H. Cel. 3. 89.
[4] B et ed. « revereri. Nil verius istis ».
[5] H. Cel. 3. 90.
[6] Ed. I. « Cipii » (pg. 231).
[7] Ed. I. « (ex eo turbatum) ».

cerneret, asinino stercore sumpto in suimet accensus vindictam ori proprio illud conterendum immittit dicens: « Stercus commasticet lingua, quae in fratrem meum iracundiae venenum effudit ». Aspiciens hoc miles stupore attonitus nimium aedificatus abscessit; et ex tunc se et sua liberaliter fratrum voluntati exposuit [1].

55. Hoc omnes fratres infallibiliter ex more servabant, ut si quis eorum alteri verbum turbationis inferret, protinus in terram prostratus laesi pedem vel inviti beatis osculis demulceret [2].

56. Dicebat beatus Franciscus: « Veniet tempus, quo malis exemplis dilecta Dei religio diffametur, ita ut pudeat exire in publicum. Qui vero tunc temporis ad suscipiendum ordinem venerint, sola Spiritus Sancti operatione ducentur, et nullam in eis maculam caro et sanguis impinget, eruntque vere a Domino benedicti; in quibus, quamvis operationes meritoriae non [3] fuerint, frigescente caritate, quae facit sanctos operari ferventer, venturae sunt illis tentationes immensae; et qui fuerint tempore illo reperti probati, meliores erunt antecessoribus suis. Vae autem illis, qui de sola sibi specie conversationis religiosae plaudentes torpescent otio, nec resistent constanter tentationibus ad probationem electorum promissis

---

[1] II. Cel. 3. 92.

[2] II. Cel. 3. 92.

[3] Cf. Speculum perf. pg. 136, lin. 17 nota b: « Mz. 989 et Conform. om. *non* »; deest etiam in ed. opusculorum S. Francisci, cf. De La Haye, S. Francisci Assisiatis opera omnia (Pedeponti 1739) pg. 47, coll. XXI.

quoniam soli, qui probati fuerint, accipient coronam vitae, quos exercitat interim malitia reproborum [1] ».

57. Dicebat sanctus Franciscus: « Rogavi Dominum, fratres! ut mihi ostendere dignaretur, quando servus ejus sum et quando non; nam vellem, inquit, nihil aliud [2], quam servus existere suus. Ipse vero benignissimus Dominus sua mihi dignatione respondit: servum meum te esse cognosce veraciter, cum sancta cogitas, sancta loqueris et sancta operaris [3]. Ideo vocavi vos fratres, quoniam coram vobis verecundari volo, si quando horum trium nullum effecero ».

58. Alio [4] tempore apud sanctam Mariam de Portiuncula considerans sanctus Franciscus, quod lucrum orationis per verba otiosa post orationes defflueret, contra lapsum otiosorum verborum hoc remedium ordinavit dicens: « Quicumque frater otiosum verbum vel inutile protulerit, teneatur statim dicere suam culpam et pro singulis otiosis verbis semel dicere *Pater noster*. Sic autem volo, ut, si prius ipse se culpaverit de commisso, dicat *Pater noster* pro anima sua; si autem ab alio prius redargutus fuerit, animae redarguentis attribuat [5] ».

Expliciunt extractiones de legenda veteri beati Francisci.

---

[1] Cf. II. Cel. 3. 93, quo loco in utraque ed. desunt « in quibus, quamvis — malitia reproborum ».

[2] Ed. « Non vellem nihil ».

[3] B et ed. « sancta cogitas, loqueris, operaris ».

[4] A « illo ».

[5] II. Cel. 3. 96.

APPENDIX

DE CODICIBUS ALIQUOT ARCHIVI S. ISIDORI.

Fasciculus hic est ultimus hujus parvae collectionis, in qua *ex archivo S. Isidori de Urbe* recollegimus ea, quae ad historiam S. P. Francisci spectant; quare hoc loco stantes promisso pluries facto dabimus elenchum codicum latinorum dicti archivi, qui de sancto patre aliquo modo agunt. Archivum illud olim pretiosum et amplum ob injurias temporum non dimidiam amplius habet partem codicum, quos Waddingus in illo reposuit, qui secundum Haroldum « confecerunt numerum octingentorum circiter aut plurium ligaminum [1] »; major pars jam deest [2], et inter codices deperditos sunt plures magni

---

[1] Haroldus, Epitome Annalium Ordinis Minorum, I (Romae 1662) pg. 44. Cf. Montfaucon, Bibliotheca Bibliothecarum, t. I. (Paris 1739) pg. 159-170.

[2] Quare cum aliis Salvator Minocchi spe sua frustrabitur scribens: « Bisogna augurarci che i dotti Francescani proseguano a far luce *sui tesori inestimabili* e ancora ignoti che giacciono nella ricchissima biblioteca di Sant' Isidoro, là dove il celebre Wadding raccolse da tutte le librerie dell' Ordine quanto meglio volle, per comporre l' opera insigne degli An-

momenti, ex. gr. scripta *B. Francisci Fabrianensis*, « *historia Puteolana* », *chronica Mariani Florentini*, quae olim ibi extitisse constat.

Hoc loco agemus de 6 codicibus, qui inter alia continent « *Legendam trium sociorum* » et ter tum *Speculum perfectionis* (red. II.), tum *Actus S. Francisci et sociorum ejus*.

Codex 1/25.

Codex cartaceus, saec. XIV, 210×252, folia 58 numerata.

(Ligatus est in folium membran. chronicae saeculo XIII scriptae; in pagina exteriore leguntur nomina imperatorum romanorum a 800-850, in pagina interiore nomina pontificum romanorum a 850-900. Fol. 1 r in calce: De vita et conversatione beati Francisci. Fol. 58 r: Iste liber est de loco Ciboctule, quem donavit fratribus nostris pauperculis quidam frater conventualis de castrò plebis).

Fol. 1 r: *Regula fratrum minorum anno* 1223 *confirmata.*

Fol. 2 v: « *Legenda trium sociorum* ». Haec sunt quaedam scripta per tres socios beati Francisci de vita et conversatione ejus in habitu saeculari... Reverendo in Christo patri fratri Crescentio... *Inc.* Franciscus de civitate Assisii oriun-

---

nali Francescani » (La Questione Francescana, Estratto dal Giornale storico della letteratura italiana, 1902, vol. XXXIX, pg. 34); cf. Sabatier, Actus pg. III.

dus. *Est eadem recensio ac illa, quam edidit Faloci ex codice Fulginatensi (v. g. numeris 36, 38, 40); immediate sequitur in codice nostro, sicut in codice Fulginatensi:* De nominibus XII primorum fratrum minorum fundatorum ordinis — *et* De indulgentia Portiunculae; *inc.* Cum staret beatus pater Franciscus — *des.* Sit carta beata Virgo Maria. Amen.

Immediate sequuntur:

Fol. 14 v: *Opuscula aliqua S. Francisci.* Littera, quam misit beatus Franciscus generali ministro de modo servando circa fratres subditos peccantes mortaliter vel venialiter. *Inc.* Dico tibi sicut possum de facto animae tuae — *des.* Deo adjuvante procurabitis adimplere.

(Cf. Sabatier, Bartholi Tractatus de indulgentia de Portiuncula — Paris 1900 — pg. 113).

Fol. 14 v: Incipiunt sacrae admonitiones beati Francisci. *Inc.* Dixit Dominus Iesus discipulis suis: Ego sum veritas et vita — *des.* Beatus servus qui servat secreta Domini in corde suo.

(Wadd. Opuscula B. P. Francisci, pg. 70).

Fol. 16 v: De religiosa habitatione in eremitoriis. *Inc.* Qui volunt religiose vivere — *des.* et studiose studeant observare.

(Wadd. l. c. pg. 290).

Fol. 17 r: Laudes, quas ordinavit beatus Franciscus et dicebat eas ad omnes horas.

» Salutatio virtutum.

» Salutatio beatae Virginis.

» Laus Domini Dei altissimi.

Fol. 17 v: Litterae beati Francisci ad capitulum generale et ad omnes fratres ordinis maxime ad sacerdotes de exhibenda reverentia sacramento corporis et sanguinis Domini in celebrando et percipiendo. *Inc.* Audite, Domini filii — *des.* donec finietur mundus iste.

(Wadd. l. c. ep. 12 et 11).

Fol. 18 v: Litterae, quas misit et reliquit omnibus fidelibus. *Inc.* Cum sim servus omnium — *des.* perseverabunt usque in finem; benedicat eis Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen. Deo gratias.

(Wadd. l. c. ep. 2).

Fol. 19 v: Haec sunt verba, quae beatus Franciscus misit fratri Leoni — *des.* benedicat fratrem Leonem.

Fol. 20 r: *Speculum perfectionis:* Istud opus compilatum est per modum legendae ex quibusdam antiquis et diversis locis; scripserunt et scribi fecerunt seu retulerunt socii beati Francisci. Nota, quod beatus Franciscus fecit tres regulas: primam, quam confirmavit sibi papa Innocentius sine bulla; postea fecit aliam breviorem et haec perdita fuit; postea fecit illam eamdem, quam papa Honorius confirmavit cum bulla, de qua regula multa fuerunt extracta per ministros contra voluntatem beati Francisci, sicut inferius continetur. Incipit speculum perfectionis status fratris minoris. Capitulum primum. Postquam fecerat beatus Franciscus secundam regulam, ascendit in quemdam montem cum fra-

tre Leone de Assisio et fratre Bonizo de Bononia, ut faceret aliam regulam, cum jam secunda perdita esset, quam Christo docente scribi fecit. Congregati *etc. Est redactio II, quam Sabatier edidit, cum hisce differentiis majoribus: desunt in codice capita* 89, 103, 106, 116. *inversa sunt capita* 117 *et* 118. *sub una rubrica habentur capita* 122, 123 *ac* 124 *usque ad* vitam animae inceperat experiri *(eodem modo ac codex Fulginatensis). Immediate sequitur fol.* 46 *r Testimonium Michaelis Bernardi:* De veritate indulgentiae de sancta Maria de Angelis, *et fol.* 48 *r:* Testamentum beati Francisci, quod fecit in morte sua.

Fol. 48 v: *Verba b. Conradi de Offida.* Ista sunt verba, quae referuntur a sancto Conrado de Offida. *Praeter* 10 §, *quas edidit Faloci (Misc. Franc. t. VII pg.* 132 *seqq.), hic leguntur fol.* 49 *r. (ante* § 2 *ed. Fal.):* Haec prophetia est, quam dicebatur se habuisse a fratre Leone socio beati Francisci fr. Conradus. *Inc.* Beatus Conradus audivit a fratre Leone... quod nihil — *des.* tribulationes, quae orientur terribiles; *sequuntur* § 2, 3, 4, 5 *ed. Fal. et fol.* 49 *v:* Miraculum, quod referebat de beato Francisco. *Inc.* Referebat frater Leo de se tanquam de alio sic dicens — *des.* sed quod factum sit de carta, nescitur usque hodie; *fol.* 50 *r:* De quadam visione fratris Leonis. *Inc.* Alio quoque tempore frater Leo passus est febrem de nocte — *des.* apparuit foris in oculis fratris Leonis; *se-*

quuntur § 6, 7, 8, 9, 10 *ed. Fal.; des.* et longaeva conversatione probatos.

Fol. 51 v: *Verba fratris Iacobi de Tuderto.* Haec sunt verba fratris Iacobi de Tuderto. *Inc.* Audite batalglia — *des.* se fa el parentado.

Fol. 54 r: *Regula prior fratrum minorum.*

(Codex magnam habet affinitatem cum codice conventus *Omnium Sanctorum* Florentini, quem descripsit *Minocchi* [1], et cum codice Fulginatensi, quem pluries tractavit *Faloci* [2]. Specialiter notamus eamdem omnino codicis nostri collectionem opusculorum S. P. Francisci inveniri tum in dictis duobus codicibus, tum in cod. Vat. 7650, unde patet jam saeculo XIV extitisse collectionem quamdam illorum opusculorum satis notam. Quo loco addimus omnia hujus collectionis opuscula a *W. Goetz* ut authentica haberi in suo, quem de hisce scripsit, articulo: Die Quellen zur Geschichte des hl. Franz von Assisi [3]).

Codex 1/63 (olim *Arm.* 5. *n.* 94).

Codex pergamenus, saec. XV, 145×108, fol. 67 numerata.

---

[1] Salvatore Minocchi, La « Legenda trium sociorum » (Flor. 1900) pg. 13; cf. etiam Sabatier, Bartholi, l. c. pg. CXXXV.

[2] Cf. Misc. Franc. t. VII. pag. 45.

[3] In Zeitschrift für Kirchengeschichte (Gotha), t. XXII. pg. 525 sqq.

(Ligatus cum pelle. In folium praecedens scripsit Waddingus: « Author est anonymus et hoc opus est jam impressum ». Fol. 1 r in calce: « Questo libro è di me Barezzo Barezzi [1] »).

Fol. 1 r: *Speculum perfectionis. Est redactio II, quam edidit Sabatier, cum hisce differentiis majoribus:*

Desunt capita 103, 120, 123, 124; *desinit fol.* 67 *v:* Bene veniat soror mea mors et iterum cum magno fervore spiritus laudavit Dominum et dixit: Ergo si placet Deo, ut cito debeam mori; dixit cuidam fratri, ut vocarent fratrem Angelum et fratrem Leonem, ut cantent mihi de sorore morte. Cum venissent illi duo fratres coram ipso pleni tristitia et dolore cum multis lacrimis cantaverunt canticum fratris solis et aliarum creaturarum Domini, quod fecerat et ipse sanctus. Et tunc ante ultimum versum ipsius cantici addidit aliquos versus de sorore morte dicens: Laudato sei mio signore pro nostra soror morte. Explicit speculum perfectionis status fratris minoris, in quo *etc.*

Sub una rubrica habentur cap. 33 et 34, 47 et 48, 62 et 63, 69 et 70, 76 et 77.

Adduntur plura, quae habet etiam Speculum vitae beati Francisci et sociorum ejus, ed. Veneta 1504; et quidem

---

[1] Barezzi, bibliopola Cremonensis, addidit ad chronicam fr. Marci Ulyssiponensis partem IV, quae prodiit Venetiis 1608 et 1612 (Sbaralea, Suppl. pg. 515).

inter cap. 26 *et* 27 *ed. a Sabatier factae inseruntur:*

fol. 14 *r:* Qualiter voluit ordinem esse sub protectione et correctione ecclesiae; *est cap.* 78 *ed. Sab., cui additur:* Cum natorum soboles multiplici — *des.* exhibere non cessat, *cf. Speculum vitae, fol.* 101 *r.*

fol. 15 *r:* De statu malo futuro fratrum, *cf. Speculum vitae, fol.* 100 *r.*

fol. 15 *v:* De scientia, quam praedixit esse occasionem ruinae, *cf. Speculum vitae, fol.* 125 *r.*

fol. 16 *r:* Qualiter maledixit ministro Bononiae, *cf. Speculum vitae, fol.* 126 *r; Sabatier, Actus, cap.* 61.

fol. 16 *v:* De intentione S. Francisci super verbum regulae: Ubicumque scirent, *cf. Speculum vitae, fol.* 124 *r.*

fol. 26 *v inseritur inter cap.* 52 *et* 53 *ed. Sab.:* Qualiter praecepit cuidam fratri, ut iret nudus ad praedicandum, *cf. Speculum vitae, fol.* 31 *r.*

fol. 44 *v inseritur inter cap.* 80 *et* 81 *ed. Sab.:* De euntibus inter infideles, *cf. Speculum vitae, fol.* 125 *v, et* De unitate, qua semper fruitur in filiis, *cf. ib. fol.* 27 *v* [1].

fol. 52 *v inseritur inter cap.* 90 *et* 91 *ed. Sab.:* De statua, quae apparuit beato Fran-

[1] Post cap. 82: « Explicit Speculum perfectionis »; vacant ex parte fol. 47 v et 48; fol. 49 r eadem manu scriptum habetur cap. 84 seqq.

cisco, *cf. Speculum vitae, fol.* 38 *et Sabatier, Actus, cap.* 25 [1].

Fol. 80 r: *Vita B. Aegidii Assis. auctore fr. Leone.* Hic incipit vita et quaedam verba sancti fratris Aegidii maximae contemplationis, qui fuit quartus in ordine post beatum Franciscum. *Inc. prol.* Ad excitandam devotionem nostram — *des. prol.* minuitur bonum meum et incido in peccatum. — *Inc.* Ut autem ab ipso primordio suae conversionis — *des.* expertus est hoc in seipso. Incipiunt quaedam verba fratris Aegidii valde notabilia. Dixit beatus fr. Aegidius: Provide verba — *des.* propter beatitudinem poena. (Cf. Doc. Ant. Franc., p. I. pg. 37-65).

Fol. 90 v: *Dicta B. Aegidii.* Usque modo scripsimus aliqua, (quae) notavit frater sanctus socius beati Francisci. Amodo scribemus aliqua, quae notaverunt socii et familiares ejusdem sancti fratris Aegidii de multis pauca valde notabilia. Sequitur de virtutibus et gratiis et effectu ipsarum... Gratiae Dei et virtutes sunt scala. *Sunt capita* de virtutibus gratiae; de fide; de dilectione (*cod.* « de dulcedine ») Dei et proximi; de sancta humilitate; de sancto timore Domini; de patientia; de sancta sollicitudine et vigilia cordis; de contemptu mundi; de castitate; de pugna tentationum et ejus utilitate; de poenitentia; de oratione et ejus effectu; de

---

[1] Cf. Sabatier, S. Francisci Legendae veteris fragmenta quaedam (Paris 1902).

contemplatione; de vita activa; de spirituali cautela habenda; de scientia utili et inutili et de praedicatoribus verbi Dei; de verbis bonis et non bonis; de perseverantia in bonis; de religione et securitate ipsius; de obedientia et ejus utilitate; de gratiis et virtutibus.

Codex 1/72 (olim *Arm.* 5. *n.* 192).

Codex cartaceus, saec. XV, 147×112, 75 folia non numerata.

(In partem interiorem coperturae scripsit Waddingus: « Hoc est speculum vitae S. Francisci et sociorum ejus, qui liber jam est impressus »; Fol. 1 r legitur: « Iste liber est loci bichignani »).

Fol. 1 r: *Actus S. Francisci. Inc.* In nomine Domini. Amen. Incipiunt quidam actus sancti Francisci et sociorum ejus; primo de expropriatione perfecta sancti fratris Bernardi ad praedicationem sanctissimi patris nostri Francisci. Ad laudem et gloriam Domini nostri etc. *Accurate hunc codicem descripsit Sabatier, Actus pag.* XXXVII.

Codex 1/73.

Codex cartaceus, saec. XIV, 145×110, 195 folia numerata.

(Praecedunt 4 folia non numerata postea addita, in quibus tabula libri, in cujus fine: « Explicit praesentis tabula, Deo gratias Amen. Forlivii 1430 ». Eadem manus transcripsit primam paginam primi fo-

lii et alias paginas restauravit. Codex est scriptus diversis manibus. In folio pergameno praeposito: « Iste liber est ad usum meum, videlicet fratris Angeli de Bucclano, minorum ordinis, provinciae vero Pennensis, quem ab Ebreo quodam solidorum pretio 16 emi. Anno a nativitate Domini 1429. In Arimini urbe me existente ». Fol. 1 r: « Questo libro è di me Barezzo Barezzi »).

Fol. 1 r: *De indulgentia sanctae Mariae de Angelis. Inc.* Dum staret beatus Franciscus apud S. Mariam — *des.* Praedictus autem frater Marinus noviter circa annum Domini MCCCVII plenus dierum ac sanctitate quievit in Domino. In his autem omnibus adhuc beatus Franciscus diem determinatam non habebat neque a papa neque a Domino Jesu Christo.

(Cf. Sabatier, Bartholi pg. LXIX sqq.).

Fol. 2 r: *Testimonium Michaelis Bernardi* (Cf. Sabatier l. c. pg. LXXXII).

Fol. 5 v: *Testimonium Petri Zalfani* (Cf. Sabatier l. c. pg. LIV).

Fol. 5 r: *Testimonium fratris Benedicti de Aretio* (Cf. Sabatier l. c. pg. XLIV).

Fol. 5 v: *Testimonium domini Jacobi de Perusio* (Cf. Sabatier l. c. pg. LI). *Des.* Explicit tractatus sacrae indulgentiae sanctae Mariae de Angelis sive de Portiuncula. Ad laudem Domini nostri Jesu Christi. Amen.

Fol. 6 r: *Opuscula S. P. Francisci.*

Inc. Istae sunt laudes, quas fecit beatus Franciscus tempore suae infirmitatis in palatio episcopi As-

sisiatis, qui docuit eas cantare socios. Altissimo omnipotente — *des.* et jocundo et robostoso et forte.

Fol. 6 v: De laude et exhortatione, quam possunt omnes fratres facere. *Inc.* Ut hanc vel talem exhortationem — *des.* perseverate usque in finem in bono.

(Est cap. 21 regulae fratrum minorum, quam primam vocant).

Fol. 7 r: De admonitione fratrum. *Inc.* Attendamus omnes fratres — *des.* ut videant claritatem tuam in regno tuo. Amen.

(Est cap. 22 ejusdem regulae).

Fol. 8 v: Oratio S. Francisci. *Inc.* Omnipotens, sanctissime, altissime — *des.* nec aliam regulam fratres habeant. Amen.

(Cap. 23 ejusdem regulae).

Fol. 10 v: Expositio Pater noster sancti fratris Aegidii. *Inc.* Pater noster, Creator noster, Redemptor noster — *des.* et libera nos a malo praeterito, praesenti et futuro. Amen.

(Wadd., Opuscula pg. 97, attribuit illam S. Francisco).

Fol. 11 r: Verba S. Francisci. *Inc.* Dixit Dominus Jesus discipulis suis: Ego sum via — *des.* Beatus servus, qui secreta Domini conservat in corde suo.

(Wadd. l. c. pg. 70).

Fol. 15 r: Commonitorium S. Francisci ad omnes fideles. *Inc.* Universis christianis, religiosis, clericis et laicis. Cum sim servus omnium — *des.*

benedicat eis Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen. Et apud se retineant cum sancta operatione usque in finem, quia spiritus et vita sunt; et qui hoc non fecerint, reddent rationem in die judicii ante tribunal Christi.

(Wadd. l. c. ep. 2).

Fol. 18 v: *Inc.* Qui volunt religiose vivere — *des.* studiose studeant observare. (Regula S. Fr. pro eremitoriis, cf. Wadd. l. c. pg. 290).

Fol. 19 r: « *De antiqua legenda* ». *Inc.* Non verecundabatur beatus Franciscus — *des.* vel familiae committebat.

(Sunt cap. 3. 90, 3. 124, 3. 97 legendae II. Celanensis).

Fol. 19 v: *Opuscula fratris Leonis.*

Sanctissimi patris nostri Francisci intentio regulae. — *Inc.* Frater Ricerius de Marchia Anconitana — *des.* quae non erant secundum voluntatem suam.

(Cf. Doc. Ant. Franc., p. I. pg. 83-99).

Verba S. Francisci. *Inc.* Ista verba scripsit socius beati Francisci, videlicet frater Leo... Item dicebat beatus Franciscus frequenter verba ista fratribus — *des.* non habemus hic mansionem, sed in coelo. Deo gratias. Amen.

(Cf. Doc. Ant. Franc., p. I. pg. 100-106, quo loco partem evulgavimus).

Fol. 26 v: « Extractiones ex legenda antiqua ».

(Totum in hoc fasciculo, pg. 25-49).

Fol. 34 r: *Speculum perfectionis (Red. I). Inc.* In nomine Domini incipit... Beatus Franciscus pro

maxima nobilitate — *des.* et audientes parum fructum reportant.

(Cf. Doc. Ant. Franc., p. II. pg. 23-84).

Fol. 58 v: *Excerpta ex legenda maj. S. Bonaventurae. Inc.* Franciscus etiam ante conversionem suam post carnis petulantiam non abiit — *des.* in qua puerulus litteras didicit, in qua postmodum praedicavit. Canonizatus a papa Gregorio IX.

Fol. 79 r: *Dicta B. Aegidii. Inc.* Verba sancti fratris Aegidii, qui fuit homo magnae contemplationis. Gratia Dei et virtutes sunt scala — *Sequuntur dicta* de virtutibus; de fide; de dilectione Dei et proximi; de humilitate; de timore; de patientia; de contemptu mundi; de castitate; de tentationibus; de poenitentia; de oratione; de cautela spirituali habenda et de consideratione; de scientia utili et non utili et de praedicatore; de bonis verbis et non bonis; de perseverantia; de religione; de obedientia; de memoria mortis; de contemplatione. — *Des.* minuitur bonum meum et incido in peccatum.

Fol. 97 v: *Compendium vitae B. Aegidii. Inc.* Quando iste sanctus pater frater Aegidius — *des.* gratissimus Deo et hominibus fuit de beneficiis sibi collatis. Explicit in compendio verba et vita beati Aegidii, quam beatus Leo descripsit.

(Cf. Doc. Ant. Franc., p. I. pg. 66-72).

Fol. 100 r: « *Considerationes S. fratris Rogerii* provincialis et magnae contemplationis viri ». *Inc.* Attende quantam debes habere reverentiam — *des.* ut in te transeat totus.

(Cf. Cod. Vatic. 4354, fol. 128 r, — cod. Berol. 196, fol. 85 v, — cod. Lignit. 12, fol. 94 v [1] aliosque).

Fol. 106 r: *Vita fratris Rogerii. Inc.* Primo, sicut ipse dicebat, per revelationem intravit — *des.* et ipse absolvit eam.

(Cf. Bibliotheca Hagiographica Latina — ed. Socii Bolland. — n. 7289).

Fol. 112 r: *Nomina primorum XII fratrum.* Primus frater Bernardus de Quintavalle, secundus frater Petrus, tertius frater Aegidius, quartus frater Sabbatinus, quintus frater Moricus parvus, sextus frater Johannes de Capella, septimus frater Philippus longus, octavus frater Johannes de sancto Constantio, nonus frater Barbarus, decimus frater Bernardus (?) de Videante, undecimus frater Angelus Trangredi (!), duodecimus frater Elias.

Fol. 112 v: « *Forma vivendi in hoc ordine edita a fr. Iohanne Pizano* » (Peccham). *Inc.* Vitae formam tibi breviter perstringo — *des.* docet infidelibus se jungere domesticis abdicatio. Secundum fratrem Ioannem de Pizano, quae etiam in tractatu illo, quem fecit, qui incipit Confiteor.

(Cf. Sbaralea, Supplementum ad Script. ord. min., pag. 449).

Fol. 115 v: *Excerpta ex expositione quatuor Magistrorum. Inc.* Reverendo in Christo patri fra-

[1] De duobus prioribus praeter alios cf. Sabatier, Speculum perfectionis pg. CLXXVI sqq.; de tertio Sabatier, Description du Manuscrit Franciscain de Liegnitz (Paris 1901, fasc. II. inter « Opuscules de Critique Historique »).

tri A ordinis fratrum minorum generali fr. Galfredus custos Parisiensis, fr. Alexander de Ales, fr. Johannes de Rupella, fr. Robertus de Bastia, fr. Rigardus reverentiam devotam et debitam. Si qui voluerint etc., attendendum est — *des.* Suspectum consortium non dicitur ex una, sed ex pluribus, ut ex genere actus, ex circumstantiis loci, temporis, frequentiae, personae et hujusmodi.

(Cf. Firmamentum trium ordinum, Venetiis 1513, p. III. fol. 15 v sqq.).

Fol. 117 r: *Epistola S. Francisci ad omnes fratres. Inc.* In nomine sanctae Trinitatis... Audite filii et fratres mei — *des.* benedicti vos a Domino, quando feceritis ista, et in aeternum sit Dominus vobiscum. Amen.

(Cf. Wadd. l. c. ep. 12 et 11.).

Fol. 120 v: *Admonitio S. Francisci de S. Sacramento. Inc.* Attendamus omnes clerici — *des.* reddere rationem. Et hoc scriptum qui fecerit exemplari, ut melius observetur, habere sciat se benedictionem a Domino.

(Cf. Wadd. l. c. ep. 13; in codice desunt verba *Reverendis in Christo* usque *in dilectione suscipite*).

Fol. 121 r: « *Speculum animae beati Bernardi abbatis* ». *Inc.* Si quis emendatioris vitae desiderio — *des.* et confessio frequens. Deo gratias. Amen [1].

---

[1] In cod. Vat. 4354 fol. 133 v sub titulo *Speculum animae beati fratris Bernardi;* in cod. Lignit. fol. 120 r sub ti-

(Cf. S. Bernardi opera omnia, ed. Migne, t. 3 (« Opera supposititia ») pg. 1175, sub titulo *Arnulfi Monachi de Boeriis Speculum Monachorum;* in fine legitur pro « et confessio frequens » « semel ad minus in hebdomada confiteatur, ut veniam mereatur de perpetratis et major ei detur gratia de vitandis malis »);

Fol. 124 r: *Verba fratris Jacobi Tudertini. Inc.* Ego examino meipsum in caritate. *Sunt verba* de amore, de humilitate, de odio sui ipsius, de tribus animae statibus, de quatuor animae pugnis, de refrenatione sensuum, de studio animae ad virtutes, de quaestione inter rationem et conscientiam, de quinque scutis, de triplici cruce. — *Des.* absit gloriari nisi in cruce Domini etc. *Sequitur immediate:* Ad fratrem Iohanni de laverna, ke in quartana se governa — *des.* e se per la colpa lomo pate, non se scusano tale de rate.

(Cf. Barthol. Pis. Liber conform., fruct. VIII. p. II. [1]).

Fol. 130 v: *Excerpta ex apologia S. Bonaventurae. Inc.* Praecursor Domini — *des.* reliquiis saginari. Explicit Deo gratias. Amen.

---

tulo *Speculum animae beati Bernardi fratris ordinis minorum.* In utroque codice opusculum eodem modo desinit ac in codice nostro.

[1] In edit. l. fol. LX v. In cod. Vat. 4354 et in cod. Lignit. verba de triplici cruce habentur in fine *Considerationum fratris Rogerii.* Errat Sabatier (Bartholi pag. LXII et 183) dicens, a cod. Vat. 4354 haec verba attribui fr. Iacobo *de Massa.*

(Cf. S. Bonaventurae Opera omnia, ed. ad Claras Aquas, t. VIII; excerpta incipiunt a cap. 5, l. c. pg. 257, et desinunt cap. 7, num. 7, l. c. pg. 274).

Fol. 147 r: *De illis, qui volunt ad cognitionem veritatis pervenire. Inc.* Qui vult ad veritatis cognitionem brevi et recto tramite pervenire — *des.* et transformationem jucundam in Domino.

(Cf. Sbaralea, Supplementum pg. 632 sub *B. Ricerius* [1]).

Fol. 152 r: *Excerpta ex S. Bonaventurae regula novitiorum. Inc.* Reformamini in novitate sensus — *des.* et qui tenuerit eam beatus. Deo gratias. Amen.

(Cf. S. Bonaventurae Opera omnia, t. VIII. pg. 475).

Fol. 168 r: « *De legenda veteri beati Francisci* ». *Inc.* Quodam tempore in primordio suae conversionis — *des.* iste locus sit caput omnium vestrum.

---

[1] In cod. nostro opusculum est anonymum. Cod. Vat. 4354 (fol. 138 v) et cod. S. Flor. XI. 148 (fol. 76 v) habent idem opusculum sub titulo *Verba Blasii fratris;* cod. Lignit. (fol. 124 v) sub titulo *Verba fratris Hilarii;* cod. 1/85 S. Isidori (fol. 45 v) sub nomine fratris *Ricerii de Marchia;* cui pariter editor (Venetiis, 1537) opusculum attribuit (Cf. Misc. Franc. t. VIII pg. 113). Le Monnier, Histoire de S. François d'Assise, I (Paris 1889) pg. 186 not. 1, citat verbum P. Gagliardi: « Ce que l'auteur de l'Imitation a enseigné dans tout le cours de son livre, avant lui, Richer de la Marche l'avait exposé rapidement et de la même manière dans un court opuscule ».

(Cf. Doc. Ant. Franc., p. II. pg. 91-100).

Dimidia pagina vacat, sequitur novo fasciculo:

Fol. 174 r: « *Omelia Origenis super evangelium Joannis Maria stabat* ». *Inc.* In praesenti solemnitate locuturi — *des.* quia vidi Dominum... in saecula saeculorum. Amen.

(Cf. Opera omnia, ed. Basileae 1536, t. II. pg. 318.

Fol. 187 v: *Epistola ascetica. Inc.* Dilectae sorori meae carissimae frater suus servus Dei... Dilectionem tuam attentius deprecor — *des.* omni hora custodire se ab omni peccato timore Dei.

(Codex hic inter diversas saec. XIV compilationes majoris est momenti).

Codex 1/82.

Codex membran. et cartaceus, saec. XV., 131 × 102, 171 fol. numerata.

(Ligatus in folium membran.; duae manus, 1-104, 107-171, scripserunt; folia 105 et 106 vacant).

Fol. 1 r: *Actus S. Francisci. Omnia capitula enumeravit Sabatier, Bartholi pg. CXLI.*

Fol. 91 r: *Dicta B. Aegidii.* Haec sunt dicta sancti fratris Aegidii, qui fuit unus de XII sociis sancti Francisci. Gratia Dei et virtutes — *Sequuntur capitula* de virtutibus; de fide; de dilectione Dei et proximi; de humilitate; de patientia; de otiositate; de contemptu mundi; de castitate; de tentationibus; de poenitentia; de virtute orationis; de cautela spirituali; de scientia utili et

inutili et praedicatione verbi Dei; de verbis bonis et non bonis; de perseverantia; de religione; de obedientia; de memoria mortis. — *Des.* qui bene se gerit et bene se custodit, praemium inenarrabile recipiet. Deo gratias. Amen.

Fol. 107 r: *Vita S. Joannis Cap. auctore fr. Christophoro de Varisio. Inc. prol.* Venerando patri fratri Gabrieli de Verona — *inc. vita* Prope civitatem Aquilanam, in qua venerabile sancti Bernardini corpus conditum est — *des.* praemissa vero miracula facta sunt a die obitus beati Joannis, qui fuit anno. *Ultimum folium deest.*

(Cf. Acta Sanctorum, oct. X, pag. 439-483).

Cod. 1/184.

Codex cartaceus, saec. XIV-XV, 136×103, 110 folia numerata.

(Ligatus in folium membran.; duae praecipue manus, 1-70; 71-110, scripserunt, secunda pars caractere minutissimo; fol. 110 v: ad usum fr. Danielis et amicorum).

Fol. 1 *deest;* fol. 2 r. *Speculum perfectionis. Inc.* nec ita observandum mandavit.

Est redactio II cum hisce differentiis majoribus:

Deest divisio in capitula.

Desunt capit. 34-38, 63, 121-124 [1].

---

[1] Fol. 64 r ad cap. 115 additur: « Nota, quod sanctus Franciscus non fuit passus hanc infirmitatem oculorum, de qua

Fol. 67 *v ab alia manu scripta habentur cap.* 31-33, *suo loco omissa. Sequitur*

Fol. 69 *v a tertia manu scriptum:* Qualiter diaboli fecerunt apud hospitale, quod est inter sanctam Mariam et Assisium, consilium. *Inc.* Cum faceret beatus Franciscus — *des.* cujus consilio omnes alii acquieverunt.

Fol. 70 r: *Actus S. Francisci. Inc.* Ad laudem et gloriam... Et primo de mirabili jejunio quadragesimali. *Omnino differt a recensione, quam edidit Sabatier; ordo capitulorum est inversus, plura desunt, alia adduntur; sunt illius recensionis cap.* 6, 17, 19, 14, 9, 23, 24, 20, 25, 26, 27, 28, 29, 36, 37; *deinde fol.* 81 *r:* De statu malo futuro fratrum — de intentione sancti Francisci super verbum regulae: ubicumque scirent — de scientia, quam praedixit occasionem esse ruinae — exemplum de praedicta voluntate sancti Francisci — de stupenda apparitione angeli — de euntibus inter infideles — de unitate qua semper fruitur in filiis [1]. *Fol.* 84 *r sequitur cap.* 18; *fol.* 84 *v et* 85 *r vacant; fol.* 85 *v:* Hic sequitur de XII sociis beati Francisci. Nomina primorum fratrum *etc.; fol.* 85 *v* de fratre Joanne de Capella; *deinde*

---

pluries fuit mentio, propter effusionem lacrimarum, sicut quidam putarunt, sed infirmitatem istam concepit, quando ivit ultra mare ad soldanum ex vehementissimo solis ardore ».

[1] Quoad haec capitula cf. cod. 1/63 arch. S. Isidori, cod. Vat. 4354, cod. Lignit. (Sabatier, Fragmenta) aliosque codices et Speculum vitae S. Francisci et sociorum ejus, ed. Veneta 1504.

cap. 1, 30, 3, 2, 4, 5, 31, 32, 33, 34, 35, 7. *Fol.* 94 *v* Verba, quae S. Franciscus desideranti fratri Leoni... Deus benedicat fratrem Leonem *etc. Deinde cap.* 38, 39, 8, 13, 12, 59, 10, 11, 41, 44, 45, 47, 46, 15, 42, 43, 16, 48, 49, 50, 53 *num.* 12-19, 69, 53 (*num.* 7-12), 68, 54, 51, 52, 56, 57. *Deinde fol.* 108 *v:* De quodam fratre juvene; *fol.* 109 *r:* Quomodo beatus Franciscus est protector omnium; *fol.* 109 *v:* Quomodo angelus Domini duos fratres deficientes in via confortabat dando eis duos panes; *fol.* 109 *v:* Revelatio facta cuidam fratri — *des. incomplete* quando recepit sacra stigmata. Et — *hic desinit codex* [1].

Codex Collegii *S. Antonii de Urbe,* de quo pluries facta est mentio, est codex membr., saec. XIV., 251×180, 84 folia numerata habens et scriptus a pluribus.

Fol. 1. *Legenda major S. Bonaventurae.*
(Fol. 5 v habetur interpolatio illa, de qua cf. editionem novam ad Claras Aquas factam pg. 28; fol. 32 v deest altera, de qua l. c. pg. 200. A fol. 1 r — 23 r habentur in calce imagines vitam S. Francisci illustrantes).

Fol. 35 v: *De indulgentia S. Mariae de Portiuncula. Inc.* Quomodo papa Honorius existens Pe-

---

[1] Cf. inter alia Speculum vitae, fol. 101 v, 99 r, 114 v, [a]c 98 v et cod. Lign., qui haec capitula habet fol. 36 v, 60 r, [8]6 v, 79 v.

rusii concessit — *des.* poterimus inducere ad eundum illuc, fideliter inducemus.

(Est eadem collectio testimoniorum et miraculorum, quae habetur in cod. 559 bibl. *Vit. Em.* Romanae; cf. Sabatier, Bartholi, pg. CLI [1]).

Fol. 49 v: *Miscellanea Franciscana, de quibus alia occasione accurate agetur.*

(Sunt facta, prophetiae, miracula ac opuscula S. P. Francisci, a diversis collecta et scripta; fol. 60 r: « Et ego frater *Jacobinus de Cortonio* [2] sacerdos et praedicator ad gloriam beati Francisci de his perhibeo testimonium, quod in me ipso supradictum miraculum dignatus est operari »; fol. 64 r: « Ego frater *Franciscus Peri* audivi a fratre Luca de Pistorio tunc existens Aretii »).

---

[1] Has notamus differentias: deest cap. 1 « quomodo fuit concessus locus sanctae Mariae »; deinde habetur cap. 14 (« Tempore quo Bonifatius papa VIII ») post caput 16 (« In regno Siciliae »), ordo capitum est hic: 13, 15, 16, 14, 17. Cap. ultimum est completum.

[2] De ipso cf. Sbaralea, Supplementum pg. 364: « Fr. Iacobini de Cortonio Concordantiae morales exstabant olim in biblioth.Conventus S. Franc. Assisii ex veteri illius loci Inventario anno 1381 facto ».

INDEX.

Praefatio . . . . . *Pag.* 5
Introductio . . . . . » 7
I. De legenda beati Aegidii . . . . . » 7
II. De aliis opusculis fratris Leonis . . . . . » 12
III. De speculo perfectionis (red. I) [1]. . . . . » 15
Extractiones de legenda antiqua . . . . . » 25
Appendix. De codicibus aliquot archivi S. Isidori . . » 51

[1] Pag. 15 lin. 19 corrige *red. II* in *red. I.*

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 18 Julii 1902.

Can. Maximilianus Novelli, *Vic. Glis.*

Ex parte Ordinis nihil obstat,
quominus imprimatur.

Romae ad S. Antonium, die 12 Junii 1902.

Fr. David Fleming, *Vic. Glis O. F. M.*

4884

922.245
L 554

AUTHOR
Lemmens, Leonard, Father, ed.

TITLE
Documenta antiqua Fraciscana

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	FEB 1 5 1978

922.245
L554

4884

Pretium hujus libri: L. 0,75.

EX EADEM TYPOGRAPHIA.

Ejusdem Auctoris. — 1. Documenta antiqua Franciscana. Pars. I. Scripta Fratris Leonis, socii S. P. Francisci. Ad Claras Aquas (Quaracchi), 1901. In 16. pag. 106. L. 1 —

2. — Pars II. Speculum perfectionis (Redactio I.) Ad Claras Aquas, 1901. In 16. pag. 100. » 1 —

3. — Excerpta Celanensia. Vitae tres S. Patris Francisci saeculo XIII compositae. (Ex *Acta Ordinis Fratrum Min.*) Ad Claras Aquas, 1901. In 16. parvo, pag. 102. » — 50

BONAVENTURA (S.) — **OPERA OMNIA** ad plurimos Codices Mss. emendata, anecdotis aucta, prolegomenis, scholiis notisque illustrata. Nova editio. Ad Claras Aquas (Quaracchi). Tom. I-IX et Indices in tom. I-IV. In 4. majori. » 237

Ejusdem. — Tractatus de praeparatione ad Missam, adjectis pro commoditate Sacerdotum precibus ante et post celebrationem, addito exorcismo jussu Leonis XIII P. M. edito. Ad Claras Aquas, 1902. Editio altera augmentata. In 32. pag. 128. » — 30

Cum ligatura in tota pelle. » — 60

Fernandez Garcia (P.) Mariano, O. F. M. — SS. D. N. Leonis PP. XIII. Acta ad Tertium Franciscalem Ordinem spectantia. Ad Claras Aquas, 1901. In 8. pag. 246. » 2 —

Stagefyr seu Herborneo (P.) Nicolao, O. F. M. — Confutatio Lutheranismi Danici anno 1530 conscripta a Nicolao Stagefyr seu Herborneo, O. F. M. nunc primum edita a Ludovico Schmitt S. I. Ad Claras Aquas, 1902. In 8. pag. VIII-320. » 3 —